

BLICA

19











Res  

---

1099

+ Sub 2<sup>a</sup> L 8

~~Handwritten signature in blue ink, crossed out with a large X.~~

T. 143222

C. 1196297

R. 376463



ALVARI GO-  
MECII EVLALIEN-  
SIS EDYLLIA ALLI-  
QVOT, SIVE POE-  
MATIA.



LVGDVNI,

Apud Gasparum Trechsel.

1558.



**POEMATA, QUAE IN**  
*hoc opusculo continentur.*

**C**ruce, siue de Christi Domini nostri nece.

**A**lcon, siue de Ioannis Vergaræ morte.

**I**nscriptiones, & epigrammata Ioannis Vergaræ.

**N**aiades, siue de noua Cathedrarum in Toletana  
Academia erectione,

**E**pigrammata aliquot Edylliorum singulorum  
argumentis conuenientia.

**C**rucis, Hispanica translatio per Licentiatum  
Gregorium Fernandiz Velasco.





ALPHONSO SANCTIO

*Sanctæ ecclesiæ Toletanæ Portionario Aluarius  
Gomecius Eulaliensis.*



VM nuper tibi ostendissem,  
Alphōse Sancti vir ornatif-  
sime, lugubre carmen, quod  
de optimi, & sapientissimi  
viri Ioannis Vergarę morte  
elapsa æstate per ocium com-  
posueram, multaque de eius

viri præclaris dotibus nobiscum ageremus: cepi-  
sti à me studiose postulare, vt postquam dolorem  
meū tā graphicè, vt tibi videbatur, expressissem,  
non recusarem illū typis apud omnes diuulgare:  
ita enim neque irritum nostrū laborē fore, & me-  
morix meritissimi viri, quòd semper optauera-  
mus, consultum iri. Agnoui tuam erga illū pieta-  
tem, cuius prudentiam multis tibi experimentis  
cognitam semper quidem exosculatus es. Agnoui  
tuum erga me amorem, cuius nempe persuasione  
deceptus, tam omnibus nostra placitura esse existi-  
mas, quàm tibi rerum mearū amātissimo. Verùm  
omnem huiusmodi cogitatū ex animo tuo eo tē-  
pore exemeram, nihil enim hætenus à sententia  
mea magis abhorruit, quam nugarum mearū adi-  
tiones vllas facere, quando ob hoc solūm à me tē-



pus in eis collocatur, vt aut molestias valetudinis  
 euitem, aut animi mei perturbationes & affectus,  
 carmine veluti musica demulceam. Postea tamen  
 rem praesius intuenti, & amicitiae & beneuolen-  
 tia iura mecum attentius consideranti, sententiam  
 alioqui mordicus retentam, amicorum memoriae  
 posthabendam esse visum est. Malo enim imperitus  
 & stultus iudicari, quam huic postremo officio  
 deesse, memoriam eorum, & virtutes celebrandi,  
 quos viuos colui, & tanto in pretio habui. Atque  
 ita carmen, quod olim Bernardino Alcaratio scho-  
 lastico Toletano Mecoenati meo consecraueram,  
 de noua cathedrarum erectione, quas ille Toleti  
 profitendas in academia sua reliquit, Vergarae eclo-  
 gae comitem adiunxi. Adieci etiam in Vergarici no-  
 minis studiosorum gratiam, inscriptiones aliquot se-  
 pulchrorum, ad exemplum antiquarum foelicissimè  
 ab eo adumbratas, aliquotq; elegantissima epigra-  
 mata, quae partim in vrbe Toletana habentur, par-  
 tim ex illius diutino conuictu memoria nostra non-  
 dum effluerunt. Nam nonnunquam vir grauissimus  
 animum a seriis negociis, quibus semper occupa-  
 batur, mecum his ludicris remittebat: sed quae verè  
 se diuini illius ingenij specimè, rarum acumen, & vi-  
 gorem praeseferant. Quonia tamè Alphoso Ce-  
 dillo praepetori nostro, semper obseruando, viro  
 iuxta religioso & erudito, qui multos annos ma-  
 gna cum laude iuuentutem apud nos instituit, libellus  
 hic offerendus est, Crucis poemation, quod mihi  
 inter syluas, dum apud principem infantatus diuer-  
 sor, pia quaedam cogitatio suggestit, in limine statim  
 legen



legendum apposui: vt post quàm Cedilli votis satisfecerit, qui nihil à poëtis scribi, nisi quod Christum spiret, cupit: argumenti sui maiestate liuidorum dentes, cæterasque tartareas detractorũ pestes, à libello quam lógissime abigat. Tu interim amorẽ meũ aduersus te cognosce, cui in omnibus cupio obtẽperare. Vale vir optime & ornatissime mihi semper ob placidos tuos mores deamande.

*ORNATISSIMO VIRO DIDACO Lupo de Horozco Infantatus principi à consiliis Aluarus Gomecius Eulaliensis.*

**D**VM Hæris amœnissimo fundo apud amplissimũ principem his diebus dulcissimo otio fruor, Didace Lupe, vir circũspectissime, partim loci amœnitate, & opacorũ nemorũ solitudine afflatus: partim tẽporis occasione incẽsus, quæ vel immanissimos quosque ad sanctas aliquas cogitationes trahit, carmini huic componendo intendi. In quodum iterum atque iterum Christi domini nostri necem reuoluo, sanctissimæ crucis mysteria perpendo, & quid quoque loco dicendũ sit considero, necesse fuit in his mentẽ cogitationibus detinere, quæ duritiem, quã alioqui pectori meo peccata obducũt, aliqua ex parte delinirent, cõuellerentque. Ad quod scribendũ, quoniam amici viri optimi, & religiosissimi memoria mihi non mediocrem calorem inspirauit, si carmen ad eum intendentem me videris, iure suo cũ eo agi intelli-



gas. Tibi tamen id ipsum offerre, cuius patrociniò in manus amicorũ sine vllò timore daretur, multis de causis apud me statui. Nam ita te primùm moribus formasti, ita integrè & purè vixisti, vt magna erga Deum pietate excellas: & quãuis in omnibus humanioribus studiis versatus sis, ob quod præclarissimo principi vnice es charus, nullius rei argumentum tibi potuisset, quã hoc de quo agimus, gratius exhiberi: Iam verò cum à teneris annis in hanc vsque ætatem perpetuò tenore, tanta reuerentia, & tã sedulo obsequio, infantatus aulam colueris, tantòque in pretio apud illã habearis, non illibèter, quæ à me obiter in eius cõmédationẽ dicuntur, audies. Quod si fortasse nonnulli erunt, quibus non satis meum hoc consilium probetur, quòd rebus diuinis humanas immisceo, neque omnino, vt ipsi interpretabuntur, ab assentationis suspitione alienas, quibus in præsentia non erat locus: considerèt obsecro, ipso planè materiæ ductu in eam occasionem, quàm ardentissimè optabam, incidisse, Sylvarúmque hanc legem esse, ex aliis in alios tramites diuertere, variásque arborum vmbra, speluncas, aut fontes captare: & nonnunquã si accidat ab eis digredi consecratione ferarum incitatos. Nam harum omniũ deliciarum non vulgariter ab hac rusticatione per hosce dies peritus venio. Vale uir ornatissime, cui in tanto principum tuorum fauore mollem senectam, & liberam benignissimi superi concedant, Heris nono Calend. Maias 1556.





CRUX, SIVE DE DOMINI  
nostri Iesu Christi nece, Ad  
Bernardum Venegam.

**D** *V* M procul à vobis Bernarde in monti-  
bus erro,  
Et iuvat, aut lepores agitare, aut figero  
ceruos,

*Accipitre aut volucres celsis occidere in auris,  
Aut laqueo potius stultis intendere fraudes:  
Seu riuos propter meditatam condere carmen,  
Magnanimūque ducem crebrò oblectare canendo,  
Ecce dies plagendus adest, quo vulnere acerbo  
Occidit excelsi patris diuina propago,  
Rex hominum, superūmque Deus, dum crimina curas  
Sanguine nostra suo deleta ostendere patri.  
O pietas, o magnus amor, qui linquere cælum  
Autorem vitæ cogis, mortemque subire  
Sacrilegam, diram: non talem exempla priorum  
Vllam commemorant, nec qua ventura sequentur.  
Mens refugit, cunctique stupent in corpore sensus,  
Cum memini quales incendunt pectora flammæ  
Isacidis, quarunt dum uitam auferre magistro  
Cœlesti, atque diu expectatum occidere Christam.  
Dic qua te impellit rabies, quo verteris astro  
Uesana o Solymum soboles, inimicæque iustis  
Pestis, et ad mortes Sanctorum sedula semper.*



*An quod te votucris toties imitamine foeta  
Defendit, rostroque procul deturbat adunco  
Degenerem miluum, clamore atque omnia complet?  
An quod tot populos pascit, quod lumina caecis  
Donat, & aeternas depellit ab ore tenebras?  
An ne quod extinctis, & vita munere cassis,  
Afflauit celeremque animum, solitumque vigorem?  
Non dices, hac ipsa suo se lumine produnt.  
At quid tu tandem? Peccatis foeda proteruis  
Lucem horres, lumemque times, nollesque videri.  
Ille pius, virtusque patris, quem regia caeli  
Exemplum sequitur, solus veraxque bonusque.  
Vos vero impliciti partis male rebus, & astu,  
Atque dolo tractare homines, & crimina mille  
Patrare, & noxis vosmet maculare sueti.  
Ergo age quid mirum si lucem odisse tenebras  
Videris, improbitas virtuti insensa resistat?  
Me tamen horror habet, torpent & frigore membra,  
Inuida quod stimulis gestatis pectora amaris  
Confixi, & nullo satiatus corda cruore  
Innocui herois, sub quo Deus incolit ipse,  
Imo est ipse Deus, qui iam iam nubibus altis  
Despiciens terras, saeuusque ad crimina vindex  
Resplendet subito, totumque a vertice caelum  
Concutiet nutu, tremefasta & cuncta fatiscent.  
Hic tamen (heu facinus) manibus post terga ligatus  
Instar fontis agit latio sub indice causam.  
Queque modo excipiunt venientem, a sineque sedentem,  
Gestantes manibus palmas, & pinguis oliuae  
Ornati fertis, regem, dominumque salutant,  
Dauidis veram sobolem passim acclamantes,*

*Et*



Et de more suo extendunt in pulvere vestes,  
(Nam mos iste patrum Iehui à tempore durat,  
'Romanique duces tali dignantur honore)  
Execrata crucis nunc tolli ad funera poscunt,  
Atque duos inter medium pendere latrones,  
Transfixum clavis, immani & vulnere costas  
Perfossum, toto dantem spectacula mundo.  
Mobilis heu leuitas, & nunquam pectora fida  
Fallacis vulgi, quæ vos sententia mutat?  
En pendet, vocemque suam (nam cætera clavi  
Impediunt) vestris ut seruiat improba mandat  
Usibus, egra licet, sic & placare parentem  
Tentat amans, miro perfusus pectora amore,  
Inter mille neces, atque inter vulnera mille,  
Heu vestris inflicta dolis, dictisque nefandis.  
O pater omnipotens, cuius suprema potestas  
Sola adigit natum, nunc in tormenta, crucemque  
Parce pius genti deceptæ, & funera noli  
Improperare truci, sic nam cecinere futurum  
Antiqui vates, hac nostra & morte piandam  
Adami exosam sobolem, foedusque petitum  
Tot sanctorum votis, nec tamen impetratum  
Firmandum, concede iterum, nec vulnera nati  
Irrita sint genitor, nec te mea funera vertant.  
Vos tamen o miseri, non sit mora, protinus omnes  
Currite ad amplexus nostros, repellere nullum  
Decrevi, patiorque volens, moriorque: nec ullus  
Inuito poterat diuinam abrumpere vitam.  
Assensit, firmansque pater, de uertice celi  
Protinus intonuit læuam, conuulsa fragore  
Cuncta tremunt, charus crudeli morte peremptus



Expirat gnatus, textit sua lumina Titan  
 Auertens vultus, formosa & cornua Phœbe  
 Occulit, atque p̄is nigrescunt cuncta tenebris.  
 Saxa suis emota locis, percussa vicissim  
 Dant sonitum, reboantque procul per culmina montes,  
 Arua gemunt, ululant saltus, Dryadésque puellæ  
 Extinctum heroa crudeli funere deflent.  
 Non illis veniunt in prata armenta diebus,  
 Nec nemore in viridi surgentes ruminat herbas  
 Bos, quondam nati infantis præsepia curans:  
 At Iordanis aquas retrò mœstissimus urget  
 Pullatus, glaucumque procul deturbat amictum.  
 Nos contrà induimus coccum, nos purpura vestit,  
 Atque ostro dormire iuuat, castumque cubile  
 Vix seruare placet, tendit in templa puella  
 Picta genas, iuuenumque trahit lasciuas cateruas  
 Non hæc ista dies stulti spectacula poscit,  
 Non hæc ista dies misera ornamenta requirit,  
 Sed luctus, lachrymas, contusaque pectora planctu,  
 Intonsumque caput, frontemque, oculosque rubentes,  
 Et strato egressos spurcum conscindere corpus  
 Flagris, & nullos nocte hac decerpere somnos,  
 Funesta, horribili, qua diro fune ligatus  
 Membra tenet Christus, teneras superantia lanas  
 Attactu, aut hyemi quæ in molli stramine poma,  
 Seruantur, dulcemque procul iaculantur odorem.  
 Ah pudeat, tristemque diem vos ducite triste,  
 Quo Deus omnipotens detectus vulnere costas,  
 Confixusque caput spinis, faciemque decoram  
 Consputus, totamque tumens liuore flagelli  
 Sacratam carnem, vincetus sub presidis ora

Sisti



Sistitur, & cuncti crudeles pendere pœnas  
Inclamant, tollique petunt in culminaligni,  
Infandi ligni quondam, solùmque scelestis  
Supplicium, mortisque genus miserabile, dirum:  
Nunc decus in solio regum, & diademate fulget,  
Et cuncta gentes hoc signant numine frontes.  
O si sacra quam præconia dicere, & ò crux  
Nunc laudes cantare tuas, & commoda quanta  
Sylva tulit, quæ te produxit in æthera germen.  
Felix nympha loci, longè at felicior illa,  
Quæ te nascentem coluit pèrque arua comantem  
Nutriit incolumen, vetuitque à fulmine tangi.  
Sen cedrus, seu laurus eras, sen Palladis arbor.  
Viuis sacra Dryas, quamuis & obire feruntur  
Orbata arboribus nympha, quæ in montibus errans:  
Tu tamen æternum Crux ò pulcherrima viues,  
Et cunctis celebrata aris Crux hac tua surget.  
Hæc morbos, febrésque graues, hæc dira venena  
Expellet, princépsque herebi, tetri que ministri  
Hæc visa in tenebras se se concludere tristes  
Urgebunt, magicásque procul depellier artes  
Conspicies, pavidùmque solo cecidisse tyrannum,  
Exanimen, postquàm signo hoc sub tartara trudi  
Umbrarum reges, & spurca piacula cernit,  
Dum latet, & quondam Aætæo stat clausus in antro,  
Custode astuto septus, miseróque magistro,  
Qui consternatum sic est affarier ausus:  
Non hæc facta metu fuga nunc, sed signa videre  
Atra Dei nolunt: quid non malè docta loquendo  
Lingua potest? sic esse putat, conuincitur, & se  
Demouet inferno dictis commotus iniquis.

At



At fibris rursus dum crux regina, corona  
 Cingitur, imperij signa & manifesta coruscant,  
 Dirigit rursus rex impius, astitit olli  
 Hic idem exclamans ò crux iam cingeris, inquit,  
 Nec dabitur vanos, quos fingis prendere fines,  
 Sic ait infelix, at tu diademate cinctâ  
 Resplendes, victrixque herebi sine fine triumphas,  
 Erigimûsque tuo passim de nomine templa.  
 Sape refulsisti in bellis, victricia portans  
 Signa p̄is ducibus, priscorum exempla tacebo,  
 Historiâsque libet patrias memorare, voluptas  
 Hæc mihi maior erit, quam vestros dicere casus  
 Externi. Ardenti cum feruet Syrius astro,  
 Cumque cleonci confert se in tecta leonis  
 Sol rapidus, febrêsque grâves, tristêsque rigores  
 Inducit diri afflatus spiramine signi,  
 Hispanis, Afris que trucis certamina Martis  
 Dura aderant, nostris languere in pectore vires  
 Viderat Alphonsus, qui tunc moderamina regni  
 Lata tenet, vocemque dolens ad sydera iactat.  
 O rex summe, potens, quando diademata Regum  
 Numine sancta tuo sint, & te præside tuta,  
 Insultant Afri cernis, defecimus ipsi,  
 Nec spes ulla manet, tu nunc miserere tuorum,  
 Dixit, & irradians crux tunc clarissima fulsit  
 Ingens, alta, rubens, sinemque attingit utrunque,  
 Qualem se ostendet quondam, quando ultima mundo  
 Lux veniet, terror scelerum, fiducia recti:  
 Obcæcat Mauris oculos, fregitque feroces  
 Insultus, rediit nostris in pectora virtus.  
 Hunc faustum, latumque diem celebrare minore

Cura



Curatenet, repetuntque acies, imitataque bella.  
 Olim me puerum cum patria dulcis aiebat  
 Eulalia: & nucibus solum mihi ludere cura,  
 Atque amor vnus erat vectari in arundine longa,  
 Et terrere patrem stridens sub imagine larue,  
 Hec me festa dies memini, reliquosque pueros  
 Oblectabat, ouans cum sedula turba maniplos  
 Mentitosque duces percompita cuncta traherat  
 Murice distinctos, cristisque micantibus, horrens  
 Certantum utrimque veniebat ad astra.  
 Hos ego visurus properans custode relicto  
 Egrediebar, auus, quem nostra cura salutis  
 Tangebatur, puerum reuocate ad limina clamans  
 Dicebat, ne turba hominum male sana tenellum  
 Cedat, & incautus ruat ipse ad certa pericla.  
 Incipiunt at nunc sub barbam albesere cani.  
 Quid tamen ista loquax patrie dulcedine captus  
 Hec inter memoro, magna & mysteria linquo?  
 Admonet hic locus, Herarum & dulcissima tempe,  
 In quibus ipse modo constrictus temporal lauro,  
 Hoc quodcunque cano, Sylua stimulatus opaca,  
 Prasulis ingentis Petri miracula referre  
 Gonsalui, genuit quem ditis conditor agri  
 Huius, Toletum tanto se prasule iactat,  
 Purpureumque patrem Christi qui prasidet arce  
 Esse dedit, titulumque simul, quo sanctior alter  
 Nullus in vrbe fuit, sanctas Solymemque crucemque,  
 Hinc te seruatum Petrus sub pectore numen  
 Aeternum coluit, struxit de marmore templum  
 Toleti excelsum, tanti monumenta decoris,  
 Hinc sacrata aris splendes. Quis dicet egenis.

Com



Commoda quanta feras, aegri miserique leuamen  
 Dum capiunt, tectis recipisque salutis egentes,  
 Quae coniuncta tenes opibus dotata benignis  
 Grata tamen diuis dona haec, diuumque parenti  
 Cuncta fuisse liquet, nam cum moribundus anhelum  
 Concuteret pectus, diroque in limine mortis  
 Sisteret, ecce domus medio qua peruia caelo est,  
 Crux fulsit rubicunda, tremor tunc occupat omnes,  
 Fallentesque genas cunctis dum conspicit heros,  
 Quae sit causa, rogat, respondent ilicet ipsi  
 Quod videre polo: finis iam nostra propinquat  
 Exultans dixit, molles decerpite flores,  
 Et sursum iactate pi, tua numina adoro  
 Crux optata diu, tu nunc mihi nuncia caelo  
 venisti, o comites gemitus vos fundite nullos  
 Ad diuos venio, sanctique habitacula Christi.  
 Sic ait, & placida victurus morte quieuit.  
 Addicere his vellem tua nunc ingentia facta  
 Antistes venerande, diem sed lucifer almus  
 Deferet, ipse queam cum vestras dicere laudes,  
 Atque tuum cantare patrem, clarosque minores,  
 Quos noui, in primis Inachum, qui est ordine quartus.  
 Dux tanti imperij, viuit sub numine cuius  
 Hac mea musa modo, viuunt quoque gesta priorum.  
 Quae Hispano scribit nunc ille idiomate, puro,  
 Sublimi, erecto, ingenium redolentia priscum.  
 Felices anima, quas talis cura per ora  
 Viuentum volitare facit, sed pectora credas  
 Pigra fuisse caue heroi, nam prouida Pallas  
 Non studiis solum decorat, sed robore & armis,  
 Et batos humeros donat, corpusque decorum,



Et speciem imperio dignam, vultumque verendum,  
 Huic Mendoza domus parens qua stemma vetustum  
 Sanguine creta deum, clara & primordia ducit.  
 Huic castra à pomis celebri cognomine dicta:  
 Santillana potens, opibusque beata marinis.  
 Hita quoque ad nubes caelosque in vertice surgit  
 Sublimisque procul domini diademata monstrat,  
 Auspice quaë tenet Sacrum de vulture nomen.  
 Dum tamen hoc tempus renuunt concedere fata,  
 Ad te crux redeo, tu nunc mihi cura, laborque.  
 Tu quoties tenebris latus nox humida terras  
 Occultat, frontes signas, fungiuntque timores,  
 Carpinus & somnos faciles, placidamque quietem.  
 Cum rursus Phebus veniens decedere lecto  
 Mortales cogit, nos hoc munimine tutos  
 Credimus, augefcit nostris vis inclita membris,  
 Atque animis: procul hinc magici, amuleta malorum  
 Hec cape, vana tibi sunt signa, & carmina cuncta,  
 Qua antiquus serpens docuit, dum captat honores  
 Diuinos, falitque hominum nutantia corda.  
 Egyptus quondam crux hac tua munera norat:  
 Demonibusque sacri te vates implorabant,  
 Nam sic saepe Deum falsi docuere prophetae,  
 Venturum Christum prisca cecinere Sybille.  
 Quid tamen ignavi non voluimus ora per omnem  
 Naturam rerum, per cuncta elementa, supernas  
 Et sedes, unde facies stellantis olympi  
 Resplendet, passim dabitur vestigia sacra  
 Nosce crucis, magnamque olim portendere iurmen.  
 Nonne vides volucres hanc ferre per aethera formam  
 Remigio alarum, dum turbida nubila sulcant?  
 Nonne



Nonne vides homines nantes extendere palmas,  
 Pendentésque referre crucem, celerésque per undas  
 Tranare, antennas nec non, cùm carbasa vento  
 Implentur, Sacram longe ostentare figuram?  
 Hanc etiam in triuiis seruat transuersa viarum  
 Semita, qua certus repetit sua tecta viator.  
 Terminat hæc vrbes, hæc ipsa & diuidit agros,  
 Tunc decumana patet, tunc curto in limite cardo  
 Arcatur, finésque auidi tenuere coloni.  
 Aspice signiferum cùm bis se scindit, ut ipsis  
 Verticibus cœli, Lernei & sydere cancri,  
 Et concreta gelu curuat ubi cornua capra,  
 Bis quoque se ostendat crux, ut quadrata figura  
 Exprimat hanc mundi; surgentem culmina solem,  
 Et serum pars ima refert, pars laua vigentem,  
 Strimoniam rursus vertit se dextera ad Arcion,  
 Scilicet & patrem orantes hæc ipsa figura  
 Commendat, gnatique sui tunc funera tangunt  
 Cernentem monumenta necis, quis tartara victor  
 Ingreditur, cœcaeq; viam nouere latebra,  
 Supplicibusque suis donat pia munera largus.  
 Tu Bernarde Dei proprium cui cernere vultum  
 Concessum, cui seque ostendunt numina coram,  
 Qui prisca probitate doces, quid viuida virtus  
 Nunc prestare queat, cùm tantum crimina pollent  
 Cùm vesana furit scelerum, regnátque libido:  
 Tu gratas nunc funde preces superúmque parentem  
 Exora, donet nostra ut male facta tegantur,  
 Omnipotens natus cùm se se ostendet Olympo  
 Terribilem, seuum, tantum crudele minantem  
 Supplicium, cùm signa crucis in nubibus altis



*Extendent, diramque necem innotescere cunctis  
Sanguine plena dabunt, quam saevo in stipite pendens  
Pertulit, iratum nam sic placere parentem  
Sperat, & in caelum claros inferre triumphos,  
Ingratorum hominum magno labefactus amore.*

XXII. Aprilis. 1556.

Ad præstantissimum virum Ioannem Vergaram  
Hendecasyllabi ad censuram  
sylvæ inuitantes.

*Vergarci Hesperia decus minoris,  
Reddis qui latium potente lingua  
Inculta hæc loca, in quibus moramur,  
Et quicquid tenet elegantiarum  
Toletum, tibi debet & fatetur.  
Hic nullas datus in manus libellus,  
Ad te nunc properat rogans, seueræ  
Lima ne pigeat tui Gometi  
Carmen corrigere, ut ( cupit quod unum )  
Tersum prodeat, & suo patrono  
In primis placeat, Crucisque numen  
Laudet pro modulo, si id approbatum  
A te nunc fuerit, nihil hic recusato  
In manus veniat vel inuidorum:  
At si displiceat, licet probetur  
Cunctis, quos veneror, meis amicis,  
Discerpam rapidas lubens in auras,  
Nec ultra patiar dolens, Camœnas  
Luce hac Phœbigena frui scelestas,  
Tibi quæ fuerint graues, molestæ.  
Tantum iudicium tuum verenti*

B



Concedas facilis precor mearum  
 Censuram ut capias ineptiarum:  
 Id si non facias amore nostri,  
 Quem debes tamen inclytum tenere,  
 Saltem respicias meum pudorem,  
 Quicumque is fuerit, tuum futurum,  
 Qui me de numero facis tuorum,  
 Vergara Hesperiae decus minoris.

Ad Christi Optimi Maximi effigiem,  
 quam vulgo Beronices dicunt.

Effigies sacrata Dei, quã nullus Apelles,  
 Aut Zeuxis pinxit, sed Deus omnipotens,  
 Cur sic vibicibus celsi turpantur Olympi  
 Delitiæ? cur sic ora cruenta geris?  
 Grandis amor vestri mortales verbera fecit,  
 Ludibria, & ronchos, & maledicta pati.  
 Cũque ego sudarem laceratus corpore toto,  
 Vix portare valens pondera dira Crucis:  
 Accessit mulier, celeberrima gloria cuius  
 Durabit, vittas & miserata dedit.  
 Suscipio, & faciem, qualis tunc tetra madebat,  
 Abstergo, & vultus pingitur ecce meus.  
 Si liuens, pallens, si lumina tincta cruore,  
 Si squallens facies, si mihi tota tumens:  
 Vestra quidem culpa est, vos olim tristia poma  
 Gustatis, dentes obstupere mei.

Ad



Ad Christum Dominum columnæ alligatum.

Christe Decus, mundi que salus, quid vincula collum  
 Dura premunt? pedica crura, manus que ligant?  
 'arnifici si nota foret tua firma voluntas,  
 Et que torret amor viscera nota forent:  
 Parceret his loris, nec frustra stringeret artus,  
 Esse videns multò vincla minora tuis.  
 Crudelis quid agis? manibus tu vincula nectis,  
 Quæ mare, quæ terras, sydera cuncta creant?  
 Tu ne catenatos poteris nunc cernere vultus,  
 Infera qui nutu, qui que superna regunt?  
 Cessabas furiosa manus, sceleratâ que serò  
 Facta tenens, metuis iam Phlegetontis aquas?  
 Perge, liga, ne obtende moras, nam tartara nunquam  
 Effugies, pergens crimina nostra ligas

Christus Dominus cruci affixus.

Huc studia, huc mentem conuerte, hic lumina fige,  
 Nam pro te pendens vulnera sæua tuli.  
 Transfixum manibus, transfixum pectore cernis,  
 Et pedibus, pœnas nullas ut ipse dares.

Christi Domini nostri tumulus.

Clauditur hoc saxo, qui replet numine mundum,  
 Et secum moriens cuncta elementa trahit.  
 Miratur natura parens, mirantur et ipsi  
 Cœlicolæ, interitum numina cuncta timent.  
 Respirate, timor carpat nec degener, ò vos,



*Impia mors aliter non superanda fuit.  
Tertia nam postquam fulgens aurora resurget,  
Inferni spoliis hic quoque surget ouans.*

**Ad Sanctissimæ Triadis imaginem.**

*† Ora Dei summi cum viuis viderit unquam  
Nemo, cur audax picta tabella tenes?  
Ungue leo exprimitur totus, si terga videntur  
Numinis, arte valens pectus & orat videt.*

**De eadem.**

*Maiestate vides, fulgore & numine plenam  
Effigiem Triadis, sic reor astra tenent.*

**Imago virginis Deiparæ Christum Do-  
minum gremio tenentis.**

*Heu nimium verax Simeon, mea vulnera sunt hæc.*

*† Michaeli ortizio viro integerrimo iuris Pon-  
tificij Doctore Aluarus gomecius. S.*

**S***Ex menses sunt Michael ornatissime, quibus vir o-  
mnibus modis maximus Doctor Ioannes Vergara, è  
viuis ad superos sublatu est, ego tamē totus contabesco,  
nec modum vllum dolori inuenio. Mutavi locū, & vr-  
be ista & amicis relictis, quorum presentia illo mortuo  
mihi ingrata est: locis desertis & incultis me abdidit, ut  
nostris oculis nihil sese ostentet, quod non triste, & ina-  
mcenure*



*mœnum sit. video enim talē mihi post hac futuram esse  
 vitam, illius schola, & consuetudine priuato. Verunta-  
 men dum acerbissimo dolori impar omnino sum, & vel  
 natura ipsa cogente, alicunde solatia conquirō, carmen  
 hoc per interualla à me compositum prout musis & do-  
 lori libebat, ad te qui Ioanni Vergara multis nomini-  
 bus coniunctissimus eras, nec minori in luctu & dolore,  
 ut opinor, es, temere fortasse, sed libenter legendū mitto.  
 Scio, animo perturbato, nihil quod optimū, aut eximiū  
 sit, aliquādo fieri, neque ea est ingenij nostri alioqui vis,  
 ut aliquid tale queat procudere: ego tamen mihi morē  
 ! gessi, atque ita non nihil leuari visus sum dolore.*

*Tibi non dubito quin futurum sit gratum  
 viro candidissimo, & tam defuncti  
 quàm nostri amantissimo vale.*

*Guadalfaiate VI. cal.*

*Augusti.*

*M. D L V I I.*

*B 3*



## Ioannis Vergaræ funus.

Alcon.

Nunc mihi dum doleo Vergaram obiisse. Thalia,  
 Optatos, scis ipsa, modos concede Canenti,  
 Sic tua perpetuò virgulta per ardua crescant  
 Culmina, nec desint imis in valibus umbra,  
 Perpetuo & pecori in pratis noua germinet herba:  
 Dum faueásque modo postremum confice carmen,  
 Quod mea syluestris conseruent cortice arundo,  
 Cortice phagorum, duro aut in marmore montis  
 Incisum, & nostros agnoscat sylua dolores,  
 Quos mihi Vergaræ morientis musa reliquit.  
 Lux nemorum nuper, sed nunc caelestia tempe  
 Altior exornat, mœstásque relinquere syluas  
 Dilectas, nil ipse modo, nil numina curant.

Quò properas venerande senex? cur dulcia linquis  
 Prata, armenta nouis cur nunc pascenda bubulcis  
 Tradis, grassantur cum tot per ouilia pestes,  
 Circumstant fauèque lupi, seuque leones?  
 Non te nymphea tuis quæ occulta penatibus errat  
 Detinet? illa Tagi collectos flumine rores  
 Te extincto haud fundet, gemináque erumpere vena  
 Desinet, eque tubis manare, altúmque replere  
 Craterem guttis, mœstis se & condet in hortis.  
 Exterus has ades? túque ò dulcissima Nais  
 Insueti domini iam nunc fastidia sentis?  
 Quem nec Musarum capiet Apollinis ullus  
 Ardor, & hosce leget si quando in marmore versus,  
 Quos inscripta tenes, hæc quid sunt? inquiet, at tu  
 In lachrymas effusa Deos atque astra vocabis,



*Infelix, dominique tui solatia quæres.*

*Quò properas venerande senex, tua tēpora nondum  
Complerant parca, poteras (vis impia morbi  
Concesset) superesse, greges & ducere nostros,  
Et mala quæ serpunt contagia tollere pestis,  
Te sine cuncta situ torpent circumdata tristi.  
Gramina nec pratis, liquidis nec vallibus amnes,  
Non aruis segetes, non somnus dulcis in antris,  
Oblectant comites ve tuos, sacras ve Napæas.  
Cuncta gelu durata rigent, Scythicisq; pruinis  
Obsita visuntur, nec pratis defluit humor,  
Nec calor ullus adest, postquam tu est raptus ad astra.  
Isthinc ad terras oculos conuerte, tuosq; que  
Respice chare pater, nec te noua Sydera olympi  
Immemorem vilæve tue, tumulive recentis  
Efficiant, quo clausa est (Sit licet infima nostri)  
Pars sumenda tamen quondam, consorsq; futura  
Fatorum, quæcūque manent, age lumina flecte,  
Diuinam hîc animam semper venerabimur, agri  
Dum cythisum, violasve dabunt, dum florea ferta.  
Quo properas venerande senex, sic deseris arua  
Quondam chara tibi, nullo hîc custode relicto,  
Qui pecus & caulas tua per vestigia lustret.  
Tu moreris Phlyarîsque manet, ventosus & Aphron,  
Et sine mente Corax, qui obtundant prata loquaces,  
Iam numeros philomela tuos dedisce canoros,  
Iam muta, & tristes habitate arbusta cicadæ  
Et nullas Satyrum spectent armenta choreas,  
Nec Pan semicaper contendat vincere cantu  
Pastores, quoniam charo sine iudice vincet.  
Felices, Vergara, quibus tua fistula nota,*



Felices, docuit quos vox tua docta, potensque,  
 Sive viros, puerosve rudes: felicior ipse  
 Sum tamen, inuideant nostri sine fine sodales,  
 Quòd toties potui Vergarum audire canentem  
 Quòd toties licuit mulceralibus est propinquum,  
 Lactis ubi, astiuoque hyberno & sydere tantum,  
 Quantum quisque volet, poterat sorbere, nec unquam  
 Defecit, minuit ne suum mens alta liquorem.

Quo properas venerande senex, cui fidere tantum  
 Numina magna dabunt posthac, ut tendere tentet  
 Diuinamve lyram, cythramve sonare canoram,  
 Aut calamos inflare tuos, dimittite inanes  
 Pastores, vetitosve ausus, cœlestis origo  
 Olli aderat, pectusque sacrum, voxq; ipsa decorum.  
 O quoties tua dicta feros flexere tyrannos,  
 Et cœtu in medio procerum tua fistula cantus  
 Edidit, insanos qui placare tumultus,  
 Et Romana tuam mirata est purpura musam.  
 O quoties dubiis rebus Sylvestria vidi  
 Numina cuncta metu trepidasse, & cuncta laborem,  
 Aut finem metuisse sibi, aut nemori impendere.  
 Ille audax, cultor que Deum commune periculum  
 Abstulit, & patera tunc est donatus opima  
 Argenti nitidi, quam docta ex arte Calophon  
 Celauit, vitemque grauem, tumidosque racemos  
 Hinc inde impressit, digitis quos Euchius almis  
 Exprimere in labrum solito conamine tentat:  
 Suscipis ipse hilaris, doluit stultissimus Aegon.  
 Quo properas venerande senex, cur munere nostra  
 Contemnis moriens aut fastidita relinquis?  
 Nonne vides quantis insultibus omnia vastet  
 Urbis fiscus insers, miserisque expilet agrestes?



Diuorúmque aris nec temperet impius ardor,  
 Argentique fames, auri & scelerata libido?  
 Nunc animis dictisque tuis Vergara seueris  
 Est opus, & rabiem truculentam arcere luporum.  
 Hinc precepta patris, Romæ qui numina Christi  
 Solus habet, metuenda tonant, metuenda coruscant,  
 Principis at nostri nos hinc pia vota retardant,  
 Inter utrunque metum positi, qua incedere tutum  
 Sit, nescimus adhuc, at si rediisse daretur  
 In lucem extinctis, aut exorabilis Orcus  
 Esset, te solum, è cunctis quos dira coercet  
 Styx, peteremus: habent aút inuiolabile manes  
 Ad superos nunquam, celi & conuexa redire.  
 Tu tamen in medio nostri responsa dedisses,  
 Ora clisque tuis trepidantia corda quiescent.  
 Ast aliter visum superis, & tempore iniquo,  
 Heu raperis Vergara, tuos & deseris agros:  
 Si sic commeritum est, te nostra errata tulerunt.

Quo properas venerande senex, Caſorlia prata  
 Quæ quondam defensa tibi, cùm cætera turba  
 Pastorum proferre nihil, nihil hiscere contrà  
 Auderet, nunc ecce aris concordia nostris  
 Pontificis, regisque simul diplomata donant:  
 Quæ tamen ipse facis teneant donata vigorem,  
 Et moriente simul te, fors morientur & ipsa.  
 Scilicet annuerant cuncti, verùm ipse repugnas  
 Inter tot solus, contràque opponere voces  
 Non cessas, quãuis Augusta id iussa vetarent  
 Te facere, & proceres aula tua limina primùm  
 Pollicitis blandi tererent, aliàsque minaces  
 Imperijs, nihil ipse tamen mutaris in istis.



Hæc multi retulere mihi, sed tu ordine cuncta  
 Narrasti memini, cum cuncta hisce auribus hausi.  
 At nunc oblitus nostri es, iamque excidit Alcon,  
 Cui plus charus eras, quam frontis lumen utrunque.  
 Quid primum doleam extinctum, comitem ne magistrum:  
 Alloquis tu dulcis eras, tu demere curas,  
 Corrigere et mores, blandèque monere solebas.  
 Te sine nunc timeo viuam ne segnior, et ne  
 Si quæ vis mentis fuerat, te absente fatiscat.

Quo properas venerande senex, nec respicis egros?  
 ipse fugis terras, curis morboque feroci  
 Ereptus, talèmque parum producere vitam  
 Haud curas. si fata vetent, nec viuere tanti  
 Est tibi, viuendum est semper si in limine Lethi,  
 Colluctans morbo atroci, seuisque medullis,  
 Quos ego te vidi patientem saepe dolores,  
 Quos premere, et tandem claris proferre querelis  
 Vi morbi ingentis, flammæque furente coactum  
 Vesica igniuoma, quam vi Phlegethontis amari  
 Infecisse reor Nemesis, quod perfida nollet,  
 Quèmque terrigenum virtute extollier unquam.  
 Inuida cur gaudes damnis mortalibus, et cur  
 Si caput in terris quicquã præstantius audet  
 Erigere, ipsa vetas, penitusque abscindere tentas?  
 Nenne satis nocuit, cum corpora nostra Prometheus  
 Effinxit turpique luto, vitreoque liquore?  
 Quem cuncta offendunt, et cuncta hostilia mortem  
 Intentant fragili, durisque laboribus implent,  
 Vipera saepe latet viridi distenta veneno,  
 Aut gleba in madida, gelido aut sub cespite in aestu.  
 Tale nihil pastor metuens proiectus in herba



*Aut cantu, aut calamis placidum solatur amorem:  
Illa tamen vel crura petit, vel brachia morsu,  
Incanti à tergo vsta vel ceruice pependit.*

*Sæpe alium dum verna facit per prata choreas,  
Et spectant Dryades, Satyri, Faunisque volentes,  
Spinula fixa pedi totū prostravit, Amyntas  
Ungniculis summis calloso & pollice traxit  
Exclamans, vulnus tantillum sternet Iolam,  
Et vilem faciet, solitoque vigore carentem?*

*Quo properas venerande senex? vos ò impia fati  
(Per que summa cadunt statim, nec crescere vultis  
Aut durare diu) cur Parcis fila maligna,  
Aut corrosa datis, magnis nascentibus illis.  
Que vobis studio an ludo producere in istam  
Sit placidum, nemo poterit discernere vitam?  
Viuebat Vergara modo lux inclyta Sylua,  
Et quicumque procul diuersa in parte remoti  
Degebant, si quando lues perceleret agros,  
Hic illis solamen erat, hic sola medela,  
Pelendoniacis quos Uxama nutrit in agris,  
Huc venire, tenent & qui tua littora Sucro  
Conchenses, quis tecta polo certantia surgunt,  
Qui & Palatini Charionia flumina potant,  
Et Segobrenses, quorum solertia pannis  
Tingendis, toto celebris dignoscitur orbe,  
Quique tuo gaudet doctissima corduba Bethi,  
Corduba que Senecas Roma, Melasque dedisti,  
Et similes fœtus non cessas fundere mundo.  
Quosque & oliuiferi Mentesa, atque Ubeda mittunt,  
Vicina cult. s. que pares Cerealibus vrbes:  
Et Segintini, primos quos alluit Henar. †*

**Henar**



*Henar compluti dulcissima cura poëtis,  
 Ipse te cuncti, & tua sacra oracla petebant  
 Vergara, haud aliter quàm cum veneranda Sybilla.  
 Antra Dicharcheis exposcecantur in oris.  
 Nec solùm hi populi, qui iam de more vetusto  
 Sacri sceptrâ Tagi agnoscunt sed ab arce Pyrenes  
 Herculis usque fretum, cupidis promiscua turba  
 Te votis petiere, sagax tu anigmata soluis,  
 Et res afflictas, tempestatésque serenas.*

*Quo properas venerande senex? longissima morti  
 Iura dedere Dei, paucisque ab origine mundi  
 Concessum reuocare gradus è cardine Auerni.  
 Agricola excidit pinum quam in montibus altis,  
 Nascentis rediisse videns noua germina gaudet,  
 Et quercus luco, quas olim incenderat ignis,  
 Vastarátque ferox, post cum prodire frequentes  
 Cernit, vota Deis quondam promissa rependit.  
 Nos miseri postquàm viuendi munere cassis  
 Lux ablata fuit, longáque in morte manemus  
 Puluis iners, cinerésque sumus, sine nomine inanes.  
 Quãuis scripta tegant pulchro nos marmora busto,  
 Quãuis musa loquax, quãuis nos fistula cantet.  
 Et quota pars hominum sacros meruere poëtâs,  
 Pieridúmque chorum, dulces & Apollinis artes?  
 Quo properas venerande senex, an ut vbera culta,  
 (Qua tibi & alma Ceres, facilis Bacchúsque dederunt)  
 I lapsi animis habeant? miseri, quos vexat Erinnyis,  
 Et furor insanus, pestésque in pectore dira,  
 Quas amor, aut scelerum genuit funesta libido,  
 Sollicitúsve labor, charæ aut dispendia fama.  
 Hos nanque hæredes legas, his pinguis linquis*

*Arua*



*Arua. Sed hi expectent, quāuis crudelis egestas;  
 Urgeat, ipse magis viue, & tua pascua cura:  
 Nam cita mors aderit, præsto est in limine semper.  
 Tu tamen ut viuis quondam tua tecta petentes  
 Consilio, lanisque iuuas & diuite nummo:  
 Sic moriens mandas, teneat tua prata fuentum  
 Desolata domus, quæ nunc reparata nitorem  
 Suscipit, atque tuis opibus firmata triumphat.  
 Sanguine coniunctos temnis, vocésque sinistras  
 Fallacis vulgi: hominésque fauoris egentes,  
 Inuisosque suis, cognata ut pignora summis,  
 Succedant caulisque iubes, septisque beatis.  
 O insignem pietate virum, Sic astra petuntur.*

*Quo properas venerande senex, te cura sororis  
 Nulla tenet, cuius serpit per pectora cancer  
 Horrificus, tentatque latus depascere utrunque  
 Virginis intacta soror est quæ digna vocari  
 Vergara, constansq; animi, patiensque doloris.  
 Chirurgo excindenda truci sua membra virago  
 Obtulit, atque prægemuerunt vindique Syluæ,  
 Intrepida illa tamen sanie, taboque cruenta  
 Viscera dinumerat, mortemque tuetur in ipsis:  
 Morbo victa graui tandem concedere fati  
 Cogitur, atque libens moritur sublata dolori,  
 Te quærens, quacunque poli tunc parte vagaris.  
 Cortonasque tuas mea magna & sola voluptas,  
 Inter te atque illam raptus, sub flore iuuenta  
 Occidit. Ah lachrymæ corrumpite lumina fletu.  
 Qualem fata virum perdunt? patruele remoto  
 Hic nempe vnus erat, mœstis solamina syluis  
 Qui daret, Actæo, Romano aut carmino cantans.*

*Iam*



Iam propera venerande senex, regionibus istis  
 Nil quod te oblectet poteris, nil dulce videre.  
 Psittacus ille tuus (nam sunt quoque gaudia paruis)  
 Versatus laribus, sex cum trieteride lustris,  
 Humanas doctus tam clarè reddere voces,  
 Cunctarumque avium sonitus effingere solers,  
 Murmura quique tua, atque increpantia verba,  
 Et risus, hilaresque iocos formare suetus,  
 Vi morbi est captus, vique est consumptus eadem.  
 I dominos comitare tuos, dignissime celo,  
 Quem procul armigero Tarpeio Atlantius ales  
 Constituat, tenerisque sinat miscere columbis  
 Oscula, quas nata nutrit formosa Dione:  
 Phabeo aut potius concedat subdere cygno  
 Carmina quæ quondam dominis dictantibus hausit.  
 At vos egregias animas pia numina olympi  
 In loca celsa ferant: barathrū, camposque nigrantes  
 Umbrarum, seuasque faces, inimicæque monstra  
 Eumenidum, spectate procul. nãque ista nocentum  
 Supplicia, infernis subter conduntur in antris.  
 Sed tu surge Alcon, sinemque impone querelis,  
 Et cultros iam sume tuos, tondere dolentes  
 Vellera nulla queunt ouibus, nec in horrea lanas  
 Comportare, nihil facere aut quorum indiget usus.  
 Nec reuocare unquã lachrymæ potuere sepultos.

Tumuli, siue Epitaphia diuersorum auto-  
 rum in Ioannis Vergaræ funere.

D. Ludonicus Cathen. Complut. Abbas, & scholæ  
 Cancellarius.

Verga



*Vergara in vno natura fecit palam,  
 Prestare quantum illa homini posset boni.  
 Vergara in vno emula mors fecit palam,  
 Ausferre quantum rursus hæc illi que at.  
 Mors ergo natura est maior, ac potentior,  
 Quæ quidquid illa struit, rapit ac dirimit?  
 Minime. nam ille natura dotibus  
 Adiutus effecit, ne unquam posset mori.*

D. Didacus Gueuara.  
 D. O. M. S.

*Ioannes iacet hic sacras Vergara camœnas  
 Cui primò humanis iungere posse datum.  
 Viuens, felicitis laus, & noua gaudia secli,  
 At nunc, & luctus, & dolor, & lachryma.*

Obiit anno salutis M. D. LVII. x. Calend  
 Mart. ætatis LXXIII. bonis omni-  
 bus amentium collegio ex  
 testamento relictis.

Alphonfus Cedillo anno ætatis suæ LXXIII.

*Vergara corpus iacet hic, conscendit ad astra.  
 Præfulgens meritis, mens fruitura Deo.*

Franciscus Lupus.

*Hic Vergara iacet, cuius, si a morte resurgit,  
 Par meritis nomen, fama perennis erit.*

*Idem*



Idem ad Aluarum Gomecium.

*Extinctum noli Vergaram flere Gomeci,  
Vivit enim, & mensis assidet ille Dei.*

Licentiatus Perea medicus.

*Gloria Pieridum iacet hic Vergara Ioannes,  
Hoc dixisse satis, cetera fama canat.*

Idem ad Aluarum Gomecium.

*Cum tam mirifice crudeli morte peremptum  
Vergaram, Musis Aluare chare, fleas:  
Est dubium, vestrum cuius sit gratia maior.  
Debes multa illi, debet & ille tibi.  
Debes magnificam longè, latèque superbam  
Materiam, numeris quam dedit ille tuis.  
Debet quòd toto viuet notissimus orbe,  
Diuino factus carmine perpetuus.*

Rodericus Lupus de obitu Vergaræ.

*Si possent hominum miseros lugere labores,  
Vergaræ flerent numina sacra obitum.*

Idem de eius tumulo.

*Hoc sita sunt tumulo Vergaræ arentia membra,  
Spiritus ætherei tecta Tonantis habet.*

De



## De eodem.

Improbata clauserunt hoc marmore fata Ioannem  
 Vergaram, Hispani spemque decusque soli.  
 Laudem promeruit tantam sermone Latino,  
 Arpinas quantam Tullius antè tulit.  
 At dum Pierias cantando exercuit artes,  
 Equavit magni carmina Vergily.  
 Quæ talem genuit vatem clarissima tellus,  
 Æternum dici iure beata potest.  
 Hic erat in terris summis primoribus orbis  
 Gratus, at in cœlis gratior ipse Deo est.

## Vergara alloquitur Gomecium.

Dum deflet lachrymis per mœsta cadentibus ora,  
 Vergaræ Gomez tristia fata sui:  
 Astitit ætherea radians delapsus ab arce,  
 Talibus et flentem vocibus alloquitur.  
 Aluare delitiis veris fruor æthere in alto,  
 Deprecor ulterius ne mea fata gemas.  
 Celituum mensis cibus est mihi dulcior illo,  
 Quem fingunt vates æthere habere Deos.  
 Non fruor ambrosia, liquidum non haurio nectar,  
 Sunt patris æterni gaudia vera cibus.

## Idem Rodericus Lupus ad Gomecium.

Ad radians abiit calum Vergara, sed illum  
 Aluare luctifico carmine docte gemis.  
 Desine flere obitum viuentis in æthero summo,

C



*Flere vetat te qui gaudia summa capit.*

*Nostra.*

*Huic sapere, & totam se dat Prudentia soli,  
Invidit Nemesis, nec suppressa tulit.  
Impia cur damnis hominum, necibusque triumphas?  
Qui iacet hîc, semper viuere dignus erat.*

*ἄλλως*

*Exul Parnasso mœrens Hispania quondam  
Cesserat, armiferis cuncta referta viris,  
Tu Vergara facis gemino reuocetur honore,  
Æqualis Latio, Cecropidumque solo.*

*De Vergara mortuo.*

*Iudicij exemplum vari, grandisque cothurni,  
Te natura dedit, te quoque seua rapit.  
Id timuit tua dum cunctis oracula petuntur,  
Ne spreta in terris nomen inane foret.  
Inuida quid trepidas? tua magna potentia viuo  
Vergara steterat, nunc moriente ruit.*

*De die funeris.*

*Musas qui colitis dolete cuncti,  
Vergara ad Superos volans relinquit  
Mœstos laurigeri chori ministres,  
Parnassi cecidit nitens columna,  
Cuius non potuerunt locum replere*

*Quos*



89

Quotquot posteriùs dabit nepotes  
Infelix Helicon, dolete cuncti,  
Toletum doleat, Tagùsque tristis  
Nigros, haud nitidos vehat lapillos,  
Perdit nunc rutilum suum nitorem.  
Egentes iuuenes, viri, senèsque,  
Inupta, & viduo relicta lecto,  
Orbe presidio, dolete cuncti.

Ad Alphonsum Cortonam de morte fratris.

Nuper dum lachrymas pias dolore  
Extincti iuuenis, bonique fratris,  
Contemplor faciem tuam rigantes  
Cortona ingenio graui, modesto  
Dotate, impediòr, dolènsque luctus  
Eosdem moueo, nihilque possum  
Tibi quod placeat, sonare plectro.  
En mœsta fugiunt nouem Sorores,  
Et crines lacerant, amatus ille  
Choro Castalidum, mouet dolores  
Atroces, Domino nitentis arcus.  
Sed tu quid facias? perire cuncta  
Stat fatis, morimur, diem supremum  
Nullus effugiet: beatus ille  
Christi qui intrepidus minax tribunal  
Accedet, comitem ferens honestam  
Vitam, cœlitibus sacris placentem.  
Talem ne dubita tuum tulisse  
Fratrem, quem docuit seuera Pallas,  
Et sanctum decorat piis, honestis



Viuentem studiis, modo sublatius  
 Ad manes properat beatiores.  
 Sumus nos miseri, qui adhuc relictis,  
 Viuendo obruimur vago tumultu,  
 Et cura premimur leui, atque inani.  
 Proinde reprime, & bonos legendo  
 Authores, facito minus molestos,  
 Hos quos concipies feros dolores.  
 Nunc in cecropiis sedens Athenis  
 (Quarum te placiti tenent amores  
 Et solus fruere Minerua amata)  
 Totos da ingenuo dies labori:  
 Falles sic tetricam dolore mentem.  
 Nunc si per Latium libet superbum  
 Vagari, inuenies leuamen ingens,  
 Crudum quod valeat leuare vulnus:  
 Hoc frater precibus rogat benignus  
 Summo despiciens tuas Olympo  
 Inuitus lachrymas, roganti obaudi.

Ad Ioannem Vergaram,  
 De Niue.

Omnia dum niueo resplendent vellere tecta  
 Et super excelsæ conspiciuntur aqua:  
 Quam vellem, dixi, sic candida pectora cunctis  
 Essent, nec solum culmina clara forent.  
 Sub tamen his tectis, sæui inclementia Iani  
 Quæ candere facit, liuida corda latent.  
 Liuida sint quæ, utinam, nec nigro exusta veneno  
 Cadibus intendant, diraque bella parent:



37

*Tu niueum tecto teneas Vergara liquorem  
Perpetuò hærentem, candida signa animi.*

De Venatione.

*Dum tua decumbunt vinclis constricta podagræ  
Et grauiiter duris saucia membra malis:  
Aluarns ecce tuus per devia fertur & agros,  
In timidos lepores, sollicitatque canes.  
Dasypodásque capit, quãuis claudantur in antris,  
Retibus & nexos in tua tecta trahit.  
Accipe quæ offerimus Syluestris munera Diuæ,  
Palladis è gremio tu meliora dabis.*

De passere claudo.

*Passer nequior ò Catulliano,  
Qui lassas repetis procax sorores  
Nil castam veritus domum Mineruæ,  
Quam sanctus meritam colit sacerdos.  
An non sat fueras salax, proteruus,  
Lasciuus, petulans, iners, molestus,  
Ni claudus pariter modo fuisses?  
Plenus iam Veneris salacioris?  
Quis casus rapuit femur recense?  
Quis vel Phœbigenum pius Machaon  
Admouit medicus manus dolenti?  
Quàm bellus graderis labante gressu,  
Dum mensis fruëris duobus annis  
Vergaræ, insidias struens catellis.  
Struthiis physici negant frequentes*



*Ultra annum fragilem manere vitam.*

**Caseoli.**

*Caseus hic, mensis veniunt cum dona secundis,  
Inductus sat erit, nec meliora voles.*

**Aliud.**

*Caseoli forma descendit nectar olympo,  
Vulcano admotus dulcis in ora fluet.*

**Ioannis Vergaræ aliquot epigrammata.**

**H**Æc mea industria lector debetur, qui aliis eiusdē  
argumēti epigrammatibus à me confictis sæpenu-  
mero virum alioqui occupatum prouocabam. nostra è uesti-  
gio adiicienda duxi, non quòd ullam fieri comparatio-  
nem velim (distant enim iuxta paremiam δ'is δ'ια τω-  
σώρ) sed ut intelligant studiosi iuuenes nonnunquam cū  
viris doctissimis ad hunc modum esse contendendum:  
tum ut illi nobis ingenij sui exempla relinquunt, qui-  
bus mortem eorum, aut absentiam consolemur: tum ut  
animos nostros accendamus, si non ad virtutes eorum  
consequendas, saltem imitandas & effingendas.

**De Francisci Ximenij effigie, quàm Carolus  
Philippi filius iuventutis Princeps  
à Rectore Complutensis  
Accademiae petierat.**

**Ioan**



Ioannes Vergara.

*Virtutis speciem, flagrans virtutis amore  
Carolus, ante oculos ponere dum satagit:  
Francisci effigiem Cisneri elegit, & illam  
Iussit Appellea pingier arte sibi.*

Nostrum.

*En quesita tibi Ximeni offertur imago,  
Qua potuit melius Carole picta dari.  
Ars si hominum posset diuinam adiungere mentem,  
O' quale imperium tunc tibi Carle foret.*

De corallio ad stomachum leuandum misso,  
Ioannes Vergara.

*Quid stomachum tentas frustra sanare tabella?  
Ad leuam sensim labere, cor male habet.*

Aliter.

*Planta olim, nunc gemma rubens, non te mihi totam  
Dat domina, heu retinet prima elementa sibi.*

Aliter.

*Sic tibi cor blandum, ad me versum mox lapidescit,  
Us lapis hic blandus duruit è frutice.*



## Nostra.

*Gemma Meduseis si non durata colubris  
Esses, durasset senior his domina.*

## Aliter.

X *Componit cor, te, atque alius Phorciniæ virgæ,  
Cor nostrum est alibi, diua puella tenet.*

## Aliter.

X *Quæ mihi cor rapuit, stomacho dat prouida gemmam,  
Cor reddat, nam hæc est sola medela mali.*

## Meleagri.

*Ἐἰ μὲν γηράσκη τὸ καλὸν, μετὰ δ' ὅθ' ἔπειρ' ἀπέλθη,  
Ἐἰ δὲ μένη τι φοβέιτ' ἄθ' ὀμὲν διδόναι.*

## Nostrum.

*Si forma ad senium properat, ne parce fugaci:  
Si manet, intrepide quòd manet exhibeas.*

## Ex Vergaræ auxilio.

*Si vanescit forma, priusquã diffugiat, da.  
Perstat, quod perstat te dare, quis timor est.*

*Lucia*



## Luciani.

Θνητὰ τὰ τῶν θνητῶν, καὶ πάντα παρέρχεται ἡμᾶς,  
 Ἦν δὲ μὴ, ἀλλ' ἡμῶς αὐτὰ παρερχόμεθα.

## Nostrum.

*Prætereant statū est homini mortalia cuncta,  
 Prætereunt, ipse aut præterit interea.*

## Ioannes Vergara.

*Nil non mortale est mortalibus, omnia cadunt,  
 Et quæ non cadunt, cadimus hisce tamen.*

De fonte vbi Lucretia aquam ex  
 vulnere fundit. Nostrum.

*Sanguis erat, nunc unda fluit, nam cerula Tethys  
 Matrone insontis sic pia membra lauat.*

## Aliter.

*Postquã deficiunt exhausto sanguine venæ,  
 Vulneribus casti pectoris, unda fluit.*

## Ioannes Vergara.

*Quàm bene quæ Veneris diros non concipit ignes,  
 E' gelido gelidam pectore fundit aquam.*



## Tetrastichum nostrum.

Fessus amor cum matre sitim dum pellere tentat,  
 His lymphis castus, sic stupefactus ait.  
 An ne Selenaeus fons hic, nec fabula mater,  
 Quo nostri ardores protinus intereunt?

Ioannes Vergara.

Pectore dum medio mittit Lucretia fontem,  
 Ad natum ridens sic dea Cypris ait,  
 Quando tuã hæc quondam spreuit male sana pharetrã,  
 I nunc, & viuas pectore conde faces,  
 Ἐς τὸ φέρου σε φέρει, φέρε καὶ φέρει, εἰδ' ἀγανακτῆς.  
 Καὶ σ' αὐτὸν λυπεῖς, καὶ τὸ φέρου σε φέρει.

Thomas Morus.

Si ferris, ferre & fer, sin irasceris, & te  
 Laferis, & quod fert, te feret, imo trahet.

Ioannes Vergara.

Si quod fert, te fert, fer fertor, nãmque repugnans  
 Et te conficies, atque ferere simul.

Nostrum.

Si quod agit, te agit, aetna fertor, nãmque alioquis  
 Rumperis obnitens, teque agit id quod agit.

De



43

De Libro Chronicorum D. D.

*Est chronicum video, nec iam medicabile vulnus  
Hocce meum, chronicus conuenit iste liber.*

Aliter.

*Gesta antiqua patrum tu nunc mihi prouida mittis,  
At molles elegi sunt mea cura modo.*

Ioannes Vergara.

*Libertatem offers, librum cui libera mittis,  
Libertas valeat, nam tua vincla iuuant.*

De Horologio, Ioannes Vergara.

*Omnia metitur tempus, sed metior ipsum,  
Artificis fragili machina facta manu.*

Nostrum.

*Ereus humano dat vir sapientior omni  
Hic leges populo, gnomone tam modico.*

Aliter ex Vergaræ imitatione.

*Interpres Phœbi perago noctemque diemque,  
Sim quamuis leuium fabrica athena hominum.*

De



## De Bibliotheca. Ioannes Vergara.

*Clamantes alibi, muti hîc docuere magistri,  
Ære alibi, hîc gratis sed meliora docent.*

## Nostrum.

*Sunt alibi obstreperi, taciti hîc retinentur amici,  
Cum libet euoluis, cum libet egrederis.*

## Aliter.

*Tempora furantur reliqui de more sodales,  
Temporis hi fugiant ne quid inane, cauent.*

## Mensæ Escariæ. Ioannes Vergara.

*Cedite lurcones, lussores cedite longè,  
Et lusum, & luxum respuit hæc tabula.*

## Nostrum.

*Immemor hinc surgens facilis conuiuia recede,  
Mensa animos hilares, libera cuncta petit.*

## Campanæ Templi maioris, Ioannes Vergara.

*Ære cano, at tu eris si causa, respice clere,  
An tua vox diuis, an mea grata magis?*

De



## De suo Symbolo, Sustine &amp; abstine.

*Sustine in aduersis, & te compesce secundis,  
Et temnes cœca numina vana deæ.*

Compluti in foro olitorio, De Francisci  
Ximenij munificentia.

*Aethere seu parcus, seu largus decidat imber,  
Larga est Compluti tempus in omne Ceres:  
Námque animis Sophia dederat qui pabula Præsul,  
Idem corporibus iussit abesse famem.*

## In Aede sancti Illefonsi.

+

*Condideram misis Franciscus grande lycæum,  
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.  
Prætextam iunxi sacco, gate amque galero,  
Frater, dux, præsul, cardineusque pater.  
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo,  
Cum mihi regnanti paruit Hesperia.*

## Tumulus Francisci fratris.

*Franciscus pario tegitur Vergara sepulchro,  
Pectus cui hoc ipso marmore candidius:  
Excoluit Graias pariter, Latiasque camœnas,  
Sed Graiarum illi maxima cura fuit.  
Sic animum studiis nimium dum pascit honestis,  
Contracta tabe corporis occubuit.  
Quid iuuat ô mors, sic te talibus insidiari?*

Ma

+ Caubescerebat vix exuditissimus, inquit Alvarus Gomez  
civis, aetate iam matura, cum hæc carmina multis  
aliis fuisse prælata meminerat. Sed sic illa ferebant  
tempora.



*Maxime iniqua vel hoc, æqua quod omnibus est.*

Alter Sepulchro incisus, in æde  
Iusti, & Pastoris.

*Franciscus saxo hoc tegitur Vergara sepultus,  
Unica Graiarum gloria Pieridum.  
Flent charites funus, flent musa, deflet Apollo,  
Vana hæc, tu requiem quæso precare piam.*

*Obiit anno salutis M. D. XLV. vj. cal Ianuar.  
quo die illi sacro anniuersario parentatur.*

Ioannes Vergara doctor The. ecclesiæ Tolet.  
& Compl. canonicus fratri aman-  
tiss. mœrens P.

Inscriptiones aliquot eiusdem, quas ora-  
tione soluta scripsit.

*Toleti in Nosocomio Cardinalis Ioannis Tauera  
Archiepiscopi Tolet. extra muros*

*Ampliss. Car. Io. Tauera, Archi. Tolet. reli-  
quias nondum rite conditas tumul-  
tuario hic apparatus sui po-  
suere ann. 1552.*

In cœmiterio Cardinalis Petri Gonzali  
Mendozij, Archiep. Tolet.

**T**umulatorum hoc cœmiterio cadauerũ permixta



*huc congeruntur ossa, donec sua quisque repetitum ve-  
niat: interim hoc illis conditorium dedicata etiam edi-  
cula Bernardinus Alcaratius pius & prudens admi-  
nistrator religionis causa erexit. Anno. Salutis M.D.  
XXXIX.*

*Qui legis, ora pro illis.*

*In fronte portæ viæ sacræ.*

*Imperat. Carolo. V. Cæ. Aug. Hisp. Rege catho. se-  
natus Toletanus viæ sacræ portam vetu-  
state collapsam instauravit. D. Pe-  
tro à Corduba Viro Cl. vr-  
bis præfecto.*

*Ann. Sal. M. D. L.*

*Serenissima Ioanna, Carolo, Philippo, carolo, ma-  
tre, filio, nepote, pronepote, diuturnam  
Reip. tràquillitatem promittentibus.*

*In bibliotheca collegij sanctæ Catherinæ.*

*Bernardinus Alcaratius Ferdinandi Aluari à  
Toleto, catholicorum Regum secretarij, & consilia-  
rij, Iuris Pontificij doctor, ecclesie Tolet. scholasticus, ca-  
nonicus, bibliothecam, studiosorum collegio per Francis-  
cum patrum instituto, sua impensa edificandam. C.  
Ann. Salutis. M. D. L. II. Mense Nouemb.*

*In templo maximo à tergo chori.*

*Nicolaus Ortizio cano. Tolet. qui monumento sibi  
&*



Et suis extructo, capellam construi, inq̄, ea capellanos institui T. I. Rodericus Ortiz, canonicus Io. capella extructa capellanorum institutione de suo adaucta antecessori B. M. qui obiit xvij. Nou. M. D. XVII. P. F.

Ibidem à tergo sacelli maximi, quod tamen postea inuitis musis oblitteratum est.

D. Francisco a Sylua huiusce templi sacerdoti, can. qui eius sarta tecta ut vir curabat, qui que legatus pro eccli. libert. ad principem missus, dum legationem obiret, mortem obiit Pinciae Vacceorum. Ann. Christi. M. D. L.V. viij. cal. Nouemb. Michael a Sylua patruo, predecessorique suo B. M. mærens P.

Inter columnas, quæ antiquam Virginis imaginem spectant.

Philippus Burgundio statuarius, qui ut diuorum effigies manu, ita mores animo exprimebat H. S. E. Subselliis chori extruendis intentus, operi pene absoluto immoritur. Ann. M. D. XLII. Die x. Nouemb.

In dextro cornu chori.

Ann. Salut. M. D. XLIII. S. D. N. Paulo III. P. M. Imp. Carolo. V. Aug. reg. ill. card. Ioan. Tauera. V. antiſtit. Subselliis suprema manus imposita Didaco Lupo Aiala vicc. pref. fab.

In



## In sinistro cornu.

*Signa tum marmorea, tum lignea calauere, hinc Philippus Burgundio, ex aduersum Burruguetus Hispanus, certarunt tunc artificum ingenia, certabunt semper spectatorum iudicia.*

## Domi suæ supra horti fontem.

*Ioannes Vergara ca. To. iugis aquæ desiderio, collectitia Syphunculo emissa, perq̄ occultos tubos in editum crate rem deducta gemini fontis instar exhibere. F.*

## In æde.

*Gregorio Pardo Burgensi sculptori clariss. & Mariæ Couarruua Tolet. fœminæ lectissi. cõiugibus, Alphon- sus Couarruuias Architectus, genero, filiaq̄ suau. fi. ut qua coniunctiõne vixerunt, eã vel mortui tuerentur, communẽ tumulũ præpostera fati iniquitate superstes, dolens, gemensq̄, P. Ann. Chri. M. D. LVI.*

*In cænotaphio Ioannæ Hispan. Reginae die, quo publico funere ab vrbe Toletana ei parentatum est.*

*Sereniss. Ioann. Cath. R. R. Ferdinandi. & Elysabete. F. utriusque Hispania, utriusque Sicilia Reginae cath. cuius felicissima fœcunditas Romanis, Italis, Hispanis, Germanis, Belgis, Syculis, Dacis, Dalmatis, Pannoniis superioribus, ipsiq̄ adeo antipodum nationibus Re-*

D



ges: Gallis Lusitanis, Danis, Panoniis inferiorib. Re-  
 ginas: toti verò orbi Imp. dedit inuictiss. Carolū Max.  
 Phili. F. Aug. ex quo nepotes, pronepotésque vidit, in  
 æternam Hispanici sceptri serenitatem editos: S. P. Q.  
 Tol. Principi de humano genere B. M. apud se nata, nu-  
 per fato functæ honorarium tumulum iustis per Pont.  
 Tol. Hispan. Pr. & S. E. Tol. sacerdotes persoluendis  
 erig. C. Ann. ab orbe redempto. M. D. LV. illius  
 ætatis LXXVI.

Nostræ.

Christo Optimo Max. S.

Sereniss. Ioannæ Catholicorū. RR. Ferdinandi & Eli-  
 sabethæ F. Hispan. Reginae nuper fato functæ: quæ Phi-  
 lippo Maximil. Imp. F. nupsit. Carolum Imp. V. pe-  
 perit, cuius auspiciis imperium terrarum Hispani te-  
 nent. S. P. Q. Tol. alumna Augustiss. posuit. D. Ioān.  
 Mart. Siliceo Hispan. primate sacra curante.

Vixit annos LXXV. Men. IIII. D. XVIIII.

Ioanna Hispan. Regina, Catholicorum RR. Ferdi-  
 nandi & Elisabet F. Men. Nouēb. Toleti nascitur  
 Philippo Maximil. Imp. F. nubit. Leonoram primo  
 partu edit, sceptris potitur. Quanto hic Aprili beni-  
 gnior, qui vitam ipsi inclementer abstulit.

D. Philippi Guenaræ in Ioannem Verga-  
 ram inscriptiones. Memoria.

Ioan



Ioannis Vergara eruditissimi viri, cuius os, seu Græce  
latine ve profam, versusque conderet, ambrosiam spira-  
re diceret, & in quo, quod rarissimum est, cum tam ma-  
gno, acrique ingenio certavit feliciter rerum agendarum  
prudentia. Obiit literis, vivit sibi.

Idem.

D. O. M.

Ossa & cineres Ioannis Vergara facundissimi, & nun-  
quam satis laudati viri hoc tegit saxum, cui maximam  
animi modestiam, prudentiam singularem, & pietatem  
summam ad immortalem felicitatem fuisse comites  
credendum est.

In terris dum fui, canonicum Toletanum, & D.  
Theologum egi. Anno salutis M. D. L.  
VII. X. K. Februar. perso-  
nam deposui. Valetate po-  
steri & pie agite.

D 2

Falta la inscripcion q. hizo el mismo I. Juan de  
Vergara para el sepulcro del Obpo. Auxilian de  
Toledo D. Pedro de Campo, y dice, segun la traba  
Alvar Gomez en el lib. 8. de reb. gestis Cardi-  
nal. Ximenez, de este modo.

Reverendo in Chr. Pat. Doct.  
Petro Campo, Episcopo Uticen.  
Can. Tolet. Theologo, ex cujus  
ore concionantis Pop. Toletan.  
totus XXXIII. annos cupidissime  
pependit, Dec. Cap. que Toletan.  
Sodali B. M. P. C.  
Anno Domini <sup>obiit</sup> M. D. LI.





*GRAVISSIMO PARITER  
& eruditissimo viro D. Ludouico Cathena, doctori  
Theologo, & Complutensis scholæ Cancellario  
Aluarus Gomecius.*



Blaturus hanc syluã benignissimo Meccœnati meo D. Bernardino Alcaratio Scholastico Toletano, qua illi de noua, quã parat, in Toletana schola cathedrarũ erectione, gratulari institui, te potissimum elegi, cuius nomine & patrociniõ cõfidens, ad tantũ virum adire audeat: nã & eruditione & doctrina in ea Academia polles, quæ bonorũ ingeniorum altrix magno cũ fructu semper est habita, & Aristarchum omniũ studiorum, iure optimo in ea agis. quibus duabus rebus factum est, vt tuũ nomen per ora hominũ passim volitet, & quicquid sententia tua probatum sit, extra aleã iudiciorũ habeatur. Nam quemadmodũ de Aegide Palladis fabulãtur poëta, quod saxeos & mutos spectatores redderet, ita quoties tibi de re aliqua pronunciare libuit, omnibus vocem & sermonẽ intercludis. Hoc est enim, quod prisci illi sapientes sub his inuolucris significare voluerunt, neque aliam esse Palladem τὴν αἰγίοχον apud illos opinor, quam viros literarũ peritia excellentes, quorum iudicium cũ supra aliorũ mēsuram sit, vocem protinus vi rationũ adimit, nec locũ vllum obluẽtando relinquit. Accedit ad hæc, quod



quòd tu vnus es, quem ego mihi ab studiorũ meo-  
 rũ primordio, venerádum & imitandũ proposui:  
 atque ita quãdiu mihi isthic esse licuit, assidue do-  
 mum tuã veniebam, & quoties aut à publicis ne-  
 gotiis vacabas, aut ab studiis grauioribus te ad no-  
 stra colloquia subtrahebas, totus ab ore tuo pen-  
 debam, & quod me sæpe dicentem non ingrati  
 audiui, ægrè à sermonibus tuis diuellebar. Po-  
 stremò eum, in cuius gratiam à me hoc libello ela-  
 boratum est, tibi vnice charũ esse scio, qua de cau-  
 sa quicquid delendum, aut mutandum censueris,  
 iure id factum esse intelligam, vt pote ab homine  
 Bernardini amãtissimo profectum. Titulum Syl-  
 uæ Naiades feci, qua figura & Theocritus, Chari-  
 tes. Plenior hic D. Ioanni Vergarę visus est, quàm,  
 quem ego scripseram Nymphæ. Scis quo ille iudi-  
 cio vir sit, quàmque non temere ab eo vnquã sit  
 dissentendum. Adiunxi aliquot epigrammata,  
 quibus interdum cum humanissimo patrono col-  
 ludo, mèque in hoc otio dormientem excito. pue-  
 riliter fateor & inepte id facio. Sed quemadmodũ  
 olim, cum apud vos eram, nihil à me tam minu-  
 tum, aut ludicrum proficiscebatur, quod ad te ili-  
 co non deferretur, ita nunc quoque fecisse non pu-  
 det: vt intelligas nihil esse de amore meo erga te  
 subtractum, sed τῆν ἀνθήναια, qua antea solebã apud  
 te vti, nihilque amplius considerare, caueréve.  
 quod veri amoris vnicum certe indicium tibi ha-  
 beto. Vale. Toletò, 17. Calédas Februarias. 1555.



De Noua Cathedrarum rectione in Toletana  
Schola facta per D. Bernardinum Al-  
caratium Scholasticum & Ca-  
nonicum Toletanum.  
Naiades.

**B**ernardine mihi semper venerande, dederunt  
Quem studiis nostris rectorem numina magna  
Ingentis templi, quo non sacratius ullum  
Orbis habet, nostrum tu saltem respice carmen.  
Nam mihi musa iubet dudum memorabile factum  
Dicere, quo exultans Toletum culmina caelo  
Condit, cecropiis nec iam concedit Athenis.  
Vincit onus vires fateor, sed pectora tarda  
Accendant musæ, mentemque ostendere gratam  
Assidue instigant: dignentur voluere secla  
Quæ ventura manent, si fors hæc scripta manebunt,  
Nec damnent, humili rem tantam scribere versu.  
Dum Tagus alta pater, qui mœnia perluit urbis  
Herculeæ, dudum per littora nota aagatur  
Fluminis auriferi, quo sunt sibi vitrea regna,  
Tectaque cæruleis circum suffulta columnis:  
Nymphæ ubi versantur centum, signatæque centum  
Antra tenent, purgantque Tago quod nascitur aurum:  
Excelsas lustrare domos, collésque superbos  
Institit, et cœli faciem referentia tecta,  
Miratus tantum humanos potuisse labores,  
Ut loca dira situ, qua vix incedere possent  
Veloces capræ, nutriti aut montibus ursi,  
Apta colant, sedesque sibi, dulcésque penates  
Iam teneant, tantum cessuri Tybridis arcis:

Nam



Nam Capitolino iuuat id donare Tonanti.  
 Hænarus huic contrà voluenti talia venit,  
 Compluti qui culta rigat, Parnasia templa  
 Quo posuere nouem Phæbo comitante sorores.  
 Hic sedeamus, ait, vernanti in margine ripæ,  
 Frigora captantes, nam circum plurima myrtus  
 Nos tegit alme pater, syluâque tenemur opaca.  
 Purgando intentas auro dabuc cedere Nymphas,  
 Ut Satyris mixta plaudant, strepitumque choreis  
 Implicitæ intendant, sinuoso & brachia nexu  
 Constringant, corpûsque rotent, & crura peritis  
 Passibus alternent, apto gradientia rhythmo,  
 Sole sub ardenti dum torret Syrius agros,  
 Et calor immodicus languentia corpora soluit,  
 Nam medium cœli Sol iam concendit ad axem,  
 Murmur apistantum circum mulcente susurro  
 Blanda sonat, ceruûsque nemus, frondosaq; lustra  
 Festinante petit gressu per deuia nota.  
 Grata Tago vox illa fuit, placidissimus ergo  
 Corniger infremuit, Nymphæ sua pensa relinquunt,  
 Et tacitè auscultant: en rursus fertur ad aures  
 Mugitus, clarèque sonant iam verba parentis.  
 Surge Tagusa meo coniux suauissima lecto,  
 Huc procede manu comitum stipata tuarum,  
 Nam Satyri venere, iuuat nunc cernere plaussus,  
 Quis mihi se iactant, dum nostris pocula mensis  
 Plena soporiferis succis, & nectare siccant.  
 Dixerat, ast illæ manicas in terga reductas  
 Demittunt, pectûsque tegunt, niueâsque papillas,  
 Et latis velant squammis argentea crura,  
 Quæ saepe amnigenis mouerunt prælia diuis,



*Pars remouet cribra, & pars cola viburnea tollit:  
 Quaeque erat in glebis tristis, confusaque massa,  
 Cocta, nitens, lucensque procul, placidissima cunctis  
 Linqvitur, & currunt cuncta ad mandata parentis.*

*Quae prior, ô muse, pedibus compressit arenam,  
 Dicite, num forsân Bernarda, aut Pancia, Leuce,  
 Vel Bastita magis? certe veneranda Iacinta  
 Progreditur, formosa suo de nomine gemmis.  
 Continuo hanc illa comitantur passibus equis,  
 Vicina, charaque sibi, quae munere in omni  
 Dat Tagus excellant, teneantque sedilia prima. —*

*Utraque dein Phreatis praestantes vultibus amba,  
 Altera sed vinclo dudum constricta iugali,  
 Altera adhuc virgo est, Veneris nec munera curat.*

*Et Chione seiuncta procul, Felicia, Sylla,  
 Cuius thure calent ara, ditissima cuius  
 Tempia pij, lucosque sacros posuere nepotes.  
 Huc prope vitiferis venit Couisia fertis,*

*Et Cottonis ornata Lyce, dulcisque Sycea,  
 Coniugio heroum semper dignata superbo,  
 Et Caprifice Faunorum notissima furtis.*

*Tardior accessit custos Martinea pontis,  
 Cura Iouis quondam, sed nil valere Tonantis  
 Numina, plus potuit concessa munere Phoebus:  
 Nam dedit huic tristes depellere corpore febres,  
 Quaeque modocunque sient, vel diros hemitritaeos.*

*Sarracina, Lase, iugulata & nota puella  
 Crimine Valla, mihi consulto oblita, sed ipsa  
 Me vocat. O lecti ne foedera rumpite nupta,  
 Horrendum scelus, & sola est id morte piandum.  
 Hanc comitata foret, cognomine nota columba,*

*Alte*

La fuerte de  
 san bernar-  
 do, la de her-  
 nan paez:  
 Leudies, la  
 bastida, la  
 de los laciu-  
 thos.

Pozuela la  
 viza, Pozue-  
 la la nueua.

Las nieues,  
 la de Sanheli-  
 zes, la Silla.  
 la de Couisa.

La del Soto  
 del lobo, la  
 de higares,  
 la del Cabra  
 higo, la de  
 las ciciones.

La de mafar-  
 razin: el po-  
 zo lasso, val-  
 de la degol-  
 lada.



*Altera Valla, vetat sed te veneranda Tagusa,  
 Nanque adamata Tago cum sis, exarsit in iras,  
 Quae aeternum durant imo sub corde reposta.  
 Venit & Oxyore, quae surdo est nupta marito,  
 Sed qui prima tenet cantandi munera, quando  
 Conueniunt Sacri diuorum in templa ministri.  
 Agneque, Scopéque, Petreáque, Petrosiléque,  
 Petrosile sat nota mihi, dum cura meorum  
 Hanc fouit, nunc est alios sortita colonos.  
 Et Maura, atque alia, quarum mihi nomina tardo  
 Sunt oblita, Tagus cingi se hoc agmine gaudet.  
 Protinus exiliunt Satyri ad myteta latentes,  
 Et nisi magnorum obstaret praesentia Diuum,  
 Qui propè confidunt, non est reuerentia tanta  
 Capripedi turba, lasciuia ut brachia possent  
 Refrenare, manus aut hac ad facta procaces.  
 Dissimulant, aptantque suos ad carmina gressus,  
 Quae flaua Oxyore rhythmis instructa mariti  
 Docta canit, sistitque feros modulamine fluctus,  
 Et trahit emotas quercus, saxosáque montis  
 Culmina, Threicio ne tantum concita vati  
 Iactentur, mirata silent in vallibus antra,  
 Nec solitas voces iterat resonabilis Echo.  
 Sed labor incassum succedit, rustica turba  
 Non valet hos numeros concinno reddere gressu,  
 Orgia, Bacche, tua insani per culmina saltent  
 Monticola. solitum repetantque frequentius Euan.  
 Quae canit Oxyore solo sunt digna Tonante.  
 Toletana canit, quae quondam ingentia facta  
 Magnanimi gessere duces, gens inclyta Gotthi.  
 Dira manus metuenda Deis, metuenda profundo.*

D 5

Valde coló-  
 ba fingitur à  
 Tago ama-  
 ta quoniam  
 per hibernas  
 pluuias solet  
 illa vallis to-  
 ta a Tago  
 inundari:  
 Monte agu-  
 do la del ca-  
 pis col.  
 La de Ines.  
 la Buhera, la  
 del Pedrero,  
 la Pedrosil-  
 la. la del N. o-  
 ro.



Ut Geticis olim descendunt montibus, utq;  
Inuictis parere timens consenserit orbis:

Romulidæ ut victi, capta & capitolia, quãuis  
Nullum regnandi finem cecinere Sybilla.

Utque his perfectis Hispanas visere terras  
Instituunt, sedesque suas hic figere curant,  
Hic ubi leta micat florenti gramine tellus,  
Et munita Tagi cinguntur mœnia flexu.

Parua olim, remeans hac cum Geryone perempto  
Transiit Alcides, & prima exordia muris  
Signavit, sed nunc Hispana industria tantum  
Non æquat cælo, sic Di voluere potentes.

Utque ubi Gottorum se gloria sustulit, & iam  
Clara magis nituit, sunt ut mortalia cuncta,  
Deciderint, pressæq; suo sub pondere vires  
Corruerint, nam stare diu concedere nulli  
Fata volunt, quoniam sic se meminere caduca,  
Officiũmque tenent, æquo & moderamine durant.

Utque Rodericus sumens Hispanica regna  
Sorte graui, insanus, turpique libidine captus  
Ardet amore Caba, lucemque & munera regni  
Contemnit, forma si non potiatur amata.

Utque hac ipsa negat, donec vim passa parenti  
Cuncta suo exponit, dirum depromere nomen  
Tartarei monstri musæ vetuere dolentes.

Percitus hic ira, rumorẽque tactus amaro  
Patrati sceleris, vindictam pectore toto  
Cogitat, & patriam conuellere sedibus imis  
Vix satis esse sibi (quanti est iniuria) credit.

Ergo dum pœnas amenti à principe sumat  
Non fas atque fidem curat, non numina Diuũm

Julianus. bre  
uẽ iter duas  
lõgas habet.



In mentem redeunt, patriæ nec pignora charæ  
 Sed ferus Hesperia cladem sub corde volutans,  
 (Heu scelus) audaces Afros induxit Iberis  
 Proditor, huic vultur, nec non immania saxi  
 Pondera, & ardentes actæ per viscera thedæ,  
 Et crista erectus serpens, atque ore trisulco  
 Horrendum infrendens, crispata fronte chelydrus,  
 Exiguæ pœnæ: maiora intendite Erynnes.  
 Utque Afri ingressi vastarunt maxima regna  
 Gens contempta prius, nullo nec in ordine pugna  
 Consilii ve loco dignanda, utque aspera fata  
 Hos dominos dederint octona in secula Iberis.  
 Ut nostri interea paulatim assumere vires,  
 Et reuocare gradus, rursusque per oppida quondam  
 Rapta sibi tentasse vias, & gloria rursus  
 Perdita Gotthorum prisca ad monumenta reuixit:  
 Donec sub Carlo, & sub successore Philippo,  
 Summa tenet, non visa prius, fastigia rerum.  
 Latè hi dispersas, incognita nomina, gentes  
 Oceani fines transgressi in vincla dederunt,  
 Toto & diuisos nunc frenant orbe Britannos,  
 Coniugio stabili, dum firmat fœdera natus  
 Reginae ingentis, quæ per discrimina mille  
 Sceptra quietâ tenet, tali sociata marito.  
 Utq; inuisa capit gens Anglica dogmata Christi,  
 Et diros ritus ultrò, mentemque rebellem  
 Deponit, Diuûmq; aras, despectaque templa  
 Plebs mutata petit, planctu & sua crimina damnat,  
 Romanique patris cognoscit numina supplex.  
 Imploratque gemens veniam, sua brachia pandit  
 Ipse pius, sobolèmq; fouet, vitulùmque ritentem.

Ma



Mactat, & instructis celebrat conuiuia mensis.  
 Christicola ut cuncti gaudent, utq; oppida passim  
 Lata agitant, festosque dies, atque intercissos,  
 Noctibus & mediis lucem atque undique flammæ  
 Eripiunt tenebras, ludisque intenta iuuentus  
 Non prius absistit, quã rursus sydera Phœbus  
 Obscuret rediens, & sacra altaria patres  
 Accedant, dextramque Dei vox consona clamet,  
 Quæ solet indomitas, libeat modo, flectere gentes.  
 Utq; hæc Hispanos in primis gaudia tangunt,  
 E' quibus exortus, tanti qui semina facti  
 Iactauit, magnamque animam pro gente Britanna  
 Fundere constituit, semota & pergere regna,  
 Infidosque viros, qui tunc diuina perosi  
 Præcepta, irati nolent connubia Regum,  
 Intentantque dolis, & vi depelere Iberos.  
 At Deus his potior, Regina & magna potestas  
 Vicerunt, Christum tandem Romanaque iura  
 Suscipiunt Angli, Regumque exempla sequuntur.  
 Quis Decios iactet? quis vel tua funera Curti?  
 Quis te Codre pater, iuuenemve Menœce laudet?  
 Hunc reputans? Christus quem littora adire coegit  
 Impia, non fama, laudisve insana cupido.  
 Ter felix salue repetit, ter magne Philippe.  
 Auspiciis cuius voluerunt numina tantas  
 Res fieri, & colubri vesanos frangier ausus.  
 Longa quidem series, humili nec cognita Vati  
 Nunc dicenda foret, si cuncta ex ordine longo,  
 Quæ pulchra Oxyore cecinit, percurrere vellem,  
 His plura adiceret, sed iam se in cornua Fauni  
 Librabant, doluitque Tagus finemque canendi



Inuitus posuit *Nympha*: nam cetera fors an  
 Quæ pater omnipotens arcanis condita fati,  
 Nondum facta tenet, cecinisset cæcula *Nais*,  
 In celo quondam parcarum edocta fauissis,  
 Dum comes *Alciden* sequitur, cum raptus olympum  
 Corporis exuias ætæo in vertice liquit.

Ast ubi se *Fauni* librantes, corpora mille  
 Reflexere modis, curuato poplite *Nymphas*  
 Inuitant, ducuntque leues per prata choreas,  
 Implicitasque manus furtim pressere, nec ultra  
 Audent *Semiferi*, demissa at vultibus ille  
 Subridet, tutasque facit præsentia *Diuum*.

Quis numerare queat, saltus, mollésque reflexus,  
 Iactatus laterum, blandoque in gramine plantas  
 Labentes, plaususque datos, vestigia rursus  
 Cum firmata tenent, vel cum simulata ruina  
 Ex arte est aliis, percussa & numina clamant,  
 Ast illæ erectæ vanos repulere timores.

Dum tamen hæc secum plaudentes prælia miscent,  
 Unda fremit, resonatque procul de flumine murmur:

Tandem cincta suis processit *Tephria* nymphis,  
 Diuinumque caput, pallentiæque extulit ora,  
 Sanguine tincta prius, sed dum male cauta lauatur  
 Aedibus in propriis, & balnea nota frequentat,

Nuda sibi placuit: diro & correpta furore  
 Ardet amore sui, cinerisque colore fatiscens  
 Palluit infelix, atque hinc cognomina traxit.

Urbane hæc nymphæ, sed sunt ingloria turba,  
 Culmina salsa tenent, undisque fouentur amaris,  
 Et populo in medio versantur, & undique sordes  
 Coguntur tolerare *Dea*, nam numina fati

La fuente del  
 vano del Ce  
 nizar, qui in  
 tra urbé est.

Pozo amar-  
 go, san Sal-  
 uador, bar-  
 rio nuevo.

Lo



*Læduntur, teneant nostri ut solatia casus:  
 Sed Diuûm generi consurgunt protinus omnes  
 Syluicola, mediâsque locant in mollibus herbis.  
 Utque toro sedit viridi sic Tephria fatur:  
 Inceptos Satyri paulisper ponite ludos,  
 Dum loquor, ipsa etenim magnarum nuntia rerum  
 Ex urbe aduenio, vos sacra ô flumina nostras  
 Intentas præstate aures, attendite montes,  
 Tu tamen in primis (vos mecum plaudite Nympha)  
 Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle;  
 Namque huc cômigrât, Nysa atque Helicone relictis,  
 Castalides Diuæ, Ilyssi doctis que fluentis  
 Posthabitis, Sacras Toleti condere sedes  
 Instituant, super astra, pater, que hæc flumina tollant.  
 Atque tuo videas musas de nomine dictas,  
 Hosque ipsos montes, iam iam cognomine notos  
 Musarum Calpênque super, Crispâmque Syenen,  
 Atlantênque super, Boream, rigidôsque Triones.  
 Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle.  
 Pimpla, Arethusa maris medio que in gurgite manas,  
 Cedite, Parnasi nec non de colle fluentes  
 Pegasis unda feras, túque Aonia Aganippe.  
 Castali amica tuos nobis tantisper honores  
 Imperti, donec nostrarum turba sororum  
 Orbi nota parum consecret numina: sat vos  
 Inclyta, clara diu seruastis nomina fontes,  
 Nos misera, abiecta, nulloque in honore manemus.  
 Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle.  
 Gymnasiarcha fuit Toleti clarus & ingens  
 Franciscus, dubium natura maior an arte,  
 Fortuna intrepidus cõtemptor, sæpe volentem*

Ster



Sterneve se opposuit, diro in certamine vires  
 Durarunt, & nunquam animis succumbere visum:  
 Commotos populos potuit frenare, nec nunquam  
 Pavit sceptrâ Ducum, patriæ devotus in omnes  
 Casus, mactæ animis heros venerande, sub isto  
 Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.

Religione fuit nemo pietate, fidéque  
 In Divos maior, passim nunc cernere templa  
 Aut reparata licet, prima aut ab origine cœpta.  
 Nam cùm Bernardi quondam venisset in ædem,  
 Gens ubi pura sedet, Bernardi vera propago,  
 Angustosque lares vidisset, protinus alta  
 Fundamenta locat, surguntque amplissima tecta,  
 Quæ modo visuntur, templis cedentia nullis,

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Cùm teneris sanctum Michaelis numen ab annis  
 Assiduus coleret, moriens ut habere patronum  
 Magnanimum Divum posset, bellare suctum  
 Aduersus Sathanan, & ferre ex hoste triumphum:  
 Erigit huic templum, sacrâsque habitare puellas  
 Illic instituit, quarum castissima vita,  
 Continuæq; preces Michaëlis numina placant.  
 Sacra domus nunc ista viget, noménque tuetur  
 Insigne, & tota colitur venerabilis vrbe.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 At si corda magis quæruntur fortia, vidi  
 Hunc ego spirantem strages, atque arma parantem,  
 Cùm sua Dimennezin Mauros agmina duxit,  
 Heroaò qualem nunc dixi, excelluit omnes  
 Pontifices cura, violento & pectore Reges.  
 Scilicet hunc sequitur Franciscus milite multo,

Lii



Littora & amplatenens vasti de limine Nerei,  
 Praesulis imperio Toleti in templa redire  
 Cogitur, & patrum curet lenire dolorem  
 Commendat praesul, cunctis quem sensit obortum  
 Digrediens, clarique notas cognoscit amoris.  
 Nanque hunc elegit, nouit quem scilicet unum  
 Eloquij cunctas dicendo absolueret laudes.  
 Euge hoc elogio Francisce, & praesulis almi  
 Iudicio exulta, tantaque in laude triumphata.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Multa intacta manent summis celebranda Poëtis,  
 Munera nos tantum quae musis contulit ille  
 Dicamus, meritoque virum celebremus honore.  
 Excelsi Pallas proles Iouis inclyta virgo,  
 Ut soror, aut mater dilecto prouida nato,  
 Inspirans tacitum, curabat sedula semper  
 Dirigere in melius, mentemque animumque sagacem  
 Francisci magni, patria cui commoda cura,  
 Quisque suos studuit ciues extollere semper.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Nam dum doctrinis vacuam potioribus urbem  
 Esse suam cernit, musis Catharina templa  
 Eregit, aspirant sacris pia numina coeptis,  
 Principiumque dedit paruū, sed crescere pergit,  
 Sublatum ingeniis iuuenum, quos viuida tellus  
 Non cessat proferre, tamen sine viribus alta  
 Tecta cadunt, properatque grauis ventura ruina.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Bernardinus adest, concessus munere Diuum  
 Francisci de fratre nepos, non degener haeres,  
 Haud minor hic animo, maior sed pectore blando



*Museum patrum cœpit, studiosaque sceptrâ  
 Nunc moderanda, virum sane quos vidimus ipsi,  
 Aut legisse datum, ingenio mitissimus unus.  
 Sacrata de more solent contendere in æde  
 Patres dum cogunt ad publica munera cœtus,  
 Non tamen huic unquam vox est intenta, nec ira  
 Lustris visa decem præceps, (mirabile ductu.)*

*Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Præsulibus magnis sæpe huic mandata ferenti  
 Rebus in ambiguis cesserunt prospera cuncta,  
 Næque Iouis soboles Concordia adesse loquenti  
 Dicitur, & cœlo sæpe huc delapsa venire,  
 Ingeniumque viri mirata, & pectora sancta,  
 Fœdera nostra tibi dixit, tractanda relinquo.*

*Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Hunc inopes, miserique suum sensere parentem,  
 Dum nunc carceribus vinctos, in tecta reducit  
 Coniugibus, natisque suis, domibusque futuros  
 Præsidium: medicis nunc iusta stipendia præbet,  
 Qui curent egros, si qui languore tenentur  
 Tabifico, & cui in proles Epidauria fidam  
 Præstet opem, præsto mors est in limine tecti.  
 Fercula pauperibus secreto missa, referre  
 Ipsa queo, nam cuncta Deæ nouere: Decembres  
 Vos quoque vidistis portari stragula lecto  
 Horrenti, & terræ duræ sine stramine fulto.*

*Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle,  
 Quanta fides rursus comitetur dicta, fatentur  
 Quæcunque exciderint, dixit, tu scilicet illa  
 Quicumque accedis, plusquam iurata putato.  
 Affectus nil iuris habet, nil ira proterua*

E



Pectore diuino herois, sed cuncta gubernat  
 Mens regina, prius prudenti examine librans.  
 Franciscus moriens iuueni curanda reliquit  
 Testamenta, licet non hæc iuuenilibus annis  
 Munera conueniunt, sed iam se ostenderat ipse.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Postquã musæis animos intendere cœpit,  
 Undique non cessat doctam conducere gentem,  
 Et loculos haurire pios, proponere musis  
 Premia, quæ ingeniis augent conamina semper.  
 Vidimus argento calatos stare lebetes,  
 Sericeas vlnas ardenti murice tinctas  
 Pendere, & totum circum splendere theatrum.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Ista tamen pereunt, quoniam pereunte patrono,  
 Fila sibi Parca ne abrumpant, sedulus instat  
 Hæc durent monumenta diu, dulcésque profundis  
 Largus opes, tales quas prudens seruat in usus.  
 Nam pater, in terris cuius veneranda voluntas  
 Regnat, Romana dux augustissimus vrbs,  
 Millia ter centum numùm Catharina templa  
 Perpetuo ut teneant, firmat munimine plumbi,  
 Quæ donanda dedit musis Fernandia proles.

Tolle caput super astra potens, vrbs Regia tolle.  
 Nectite nunc Nympha, myrti hac de fronde coronam,  
 Puniceásque rosas, mollésque requirite flores,  
 Purpureas violas aliæ, pars querite calthas,  
 Pars sacra lauri bacchas, pars rosida poma,  
 Cereæ, quæ variis circumpendentiæ ramis  
 Hic prope cernuntur, mecum decerpite, & ipsi  
 Donemus, nostros qui tollit ad æthera fontes.

Tol



Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 En tibi terra suos producit gemme a flores,  
 En tibi sylua suos donat largissima fructus,  
 Quacunque incedis toto se copia cornu  
 Diffundit, tali & letæ sub vindice musæ  
 Exultant, cytharâsque nouas, intactâque pleetra  
 Deprompsere, suosque parent ut carmina vates  
 Inuitant, coguntque Deæ, date viuere cantus  
 Vos nunc ò musæ faciles, nam cuncta potestis.

Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Ecce aliud dicam, noſtis qua defluit vnda  
 Sacra mihi, tristéſque fabri, tristéſque terebra,  
 Et pulſata procul reſonabant ictibus æra:  
 Melpomene ſacrata domus ſupereminet antris  
 Fundata in noſtris, ſacros habitura puellos,  
 Qui cantu ſtudeant, doctrina & vincere muſas.  
 Thermæ olim noſtra, nunc iam non inſima cura  
 Præſulis ingentis Silicei, lilia cuncta  
 Spargite nunc Nympha, tuque hoc ſub præſule tuta.

Tolle caput ſuper aſtra potens, vrbs regia tolle.  
 Hænaræ cede Tago, non ſolum deuehit aurum,  
 Ubera nec ſolum terrarum perluit vnda,  
 Flumina nec ſolum centum latiffimus alueo  
 Accipit, in pontum nec ſolum gurgite vaſto  
 Exit, irux, rapidus, ſpumens per pingua culta,  
 Secum cuncta trahens, Neptuno & prælia miſcens,  
 Sed placidus muſis ædes in colle propinquo  
 Erigit, & forſan Compluto ad mœnia noſtra  
 Tranſibunt, ſecumque ferent Phœbæia dona,  
 Carmina, pleetra, lyras, tentâsque à Pallade chordas  
 Hæc inter, proh quanta manet vos gloria Nympha.



Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle  
 Iam mihi per colles, & per frondentia rura,  
 Sollicitos iuvenes video, dictata magistri  
 Voluere, demorsos circūq; arrodier ungues,  
 Et lucubratas tabulas implere lituris.  
 Iam mihi praela nouis inuentis feruida cerno,  
 Quæ muse agnoscant, & quæ monumenta priorum  
 Aquent, aut distent saltem discrimine paruo.  
 Sunt illi heroes longe melioribus orti  
 Auspiciis, quorum exemplo sua scripta minores  
 Componunt, durare volunt si æterna per annos.  
 Sat pueri vobis hanc si contingere laudem  
 Concessum, præterque datos ne tendite fines,  
 Fata obstant, diros ausus depellite corde.

Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle.  
 Ut cum spirantes sublimi à cardine mundi  
 Dispergunt Rhyphæa procul sua frigora venti,  
 Subter cuncta gelu torpent constricta rigenti,  
 Nec pratis flores vernant, nec vallibus herbae,  
 Frondibus & nuda squallent in montibus orni,  
 Cunctaque per densas latitant animalia sylvas,  
 Et quauis auidi claudunt se in tecta coloni,  
 Culta relicta iacent, & solus regnat in aruis  
 Immitis Boreas, concreta & cuncta rigescunt,  
 Barbaras vastarat sic has inscitia terras.

Tolle caput super astra potens, urbs regia tolle.  
 At Zephris postquam mitescunt frigora blandis,  
 Fronde sedens querulos charo cum coniuge voces  
 Ingeminat turtur, nocte & philomela perenni  
 Immemor atrocis Terei dat carmen in hortis:  
 Et variata noui surgunt per gramina flores

Sul



*Sulcis multa seges crescit, pendentia poma  
 Lectica in molli sub frondibus educat arbos,  
 Et sole aduerso concretis gemmea guttis  
 Resplendet vitis, crystala ut fulgida Phæbo  
 Diffundunt late radios, & lumina pulsant:  
 Sic schola nostra nitet curantibus omnia musis.*

*Tolle caput super astra potens, vrbs regia tolle.  
 Vos nunc ò Superi, cœli quîs sydera parent,  
 Huic date longæuis ut vitam repleat annis,  
 Percipiâtque novos, quos dent sua munera fructus.  
 Tuq; pater propera dum viuus, cuncta videre  
 Auspiciis reparata tuis: ò gaudia quanta  
 Conciperes, studiis si iam musea videres  
 Feruere, an credis curent quòd talia manes?*

*Hic finem placidis imponens Tephria dictis,  
 Protinus erigitur, comitum stipata suarum  
 Agmine, dimissas instauratura choreas.*

*At Tagus ipse suas tendens ad sydera palmas  
 Aduenere dies clamat, cum numina nostra  
 Equiparent superos, nam sic cecinere futurum  
 Olim fata mihi, nunc vera oracula cerno.*

**F I N I S.**

**E 3**



Aliquot Epigrammata ad D. Bernardinum  
Alcaratium patronum missa.

Quod annum. 63. euaserit.

**M**agne Deus, celso qui vertice despicis orbem,  
Qui vita, & mortis iura seuera tenes:  
Nostra tibi has grates reddit pro munere musa,  
Carmina consecrat, thuraque odora cremat,  
Munere pro tanto fruitur quod luce patronus,  
Fatalisque gradus tempora dura fugit.  
Estis Io superi, regnas hominumque deumque  
Summe pater, votis annuis ecce piis.  
Scilicet huic largos vita dum protabis annos,  
Presidium musis auxiliūque paras.  
En viget vrbe sua doctorum turba virorum,  
Redditur & studiis, qui fuit antè nitor.  
Hoc igitur quodcunque Deus nunc adiicis annis,  
Da prosper ventus, lenis & aura regat.

De Sacerdotio basilicæ Diui Petri  
per patronum collato.

Munere patroni sum nunc in templa receptus  
Petre tua, & posthac sedibus hisce fruar  
Liminis aetherei venerande ò clauiger adsis,  
Ingrediarque bonis templa tua auspiciis.  
Me tibi commendant musæ, sum cura Dearum,  
Inuida Melpomene munera nulla dedit.  
Impar cantando, nec respondere paratus  
Aduenio, tacitus te pater alme colam.

Sci



Scilicet hos cultus potiùs pia numina poscunt,  
Plus pietas, candor, puraque corda placent.

De Tapetibus.

Venit hyems, rursus sævæ venere pruine  
Et nix, & glacies, cuncta Aquilone rigent.  
Gausapa sumuntur pendentibus horrida villis,  
Claudimur & tectis, vina, focusque iuvant.  
Ast albus paries nudus sine tegmine noster  
Implorat dominum, præsidiumque suum.  
Nunquid tecta mihi suetum decorare tapetis?  
Non: hæc munificus tu mihi dona facis.  
Redde vel auleis, vitæ me aut redde priori,  
Olim parva mihi, summo optata placent.

De obitu D. Didaci Lopij  
Bernardini fratris.

Funera quæ spectas, mæstos quos cernis amictus,  
Pullatos ciues ordine quemque suo,  
Dat Didaco Lopio meritos pietatis honores  
Urbs sua, quam coluit, dum sibi vita fuit.  
Hic ille est Crucifer magnus, ferreria tellus  
Credita cui quondam, nunc viduata manet.  
Ast urbs Toletum, sua nunc tristissima sentit  
Damna prior, patria quòd perit ipse pater.  
Nam fuit ingenio miti, atque ad munera prompto,  
Nobilibus, miseris anchora tuta viris.  
Præsidium cunctis, premeret quos turpis egestas,  
Vultu, oculis blandus, sed pietate magis.

E. 4



Conuiuis gratus, quos semper mensa frequentes  
 Tunc tenuit letos, nunc sine fine dolent.  
 Et doleant iubeo, si quid mea carmina possunt,  
 Nam moritur pietas hoc moriente simul.

De eodem. ipse loquitur.

Quid mea defletis, cum sint dignissima fata?  
 Quid non letitiam concinit iste dolor?  
 Felicem vixi, & longam sine crimine vitam,  
 Et patriam moriens nunc feror esse dolor.

De Imagine.

Ut primum vidi depictos ante Coram  
 Tam graphice vultus Gymnasiarcha tuos.  
 Et decus in facie, venerando & vertice canos,  
 Et placida mentis signa colenda tuae.  
 Ni praesens esses, deceptus protinus ipse  
 Clamassem, iurans viuere te in tabula.  
 Quis neget esse Deum mortali in pectore, quando  
 Artifici sic est ingeniosa manus?

De mula.

Conquestus patrone meae succumbere vires,  
 Ducere nec facilem per loca dura viam:  
 Querebam binas tua si praesepia mulas  
 Ut fecere diu, sic quoque nunc alerent.  
 Non, dixti, placidus: dolui mea fata, sed ipse  
 Sollicitus curas, quo mea damna leues.

Ex



Extemplo emisti vatem quòd portet, Homerum.  
Sic coluit nemo, nec puto Virgilium.

Ad Hænarum Fluvium.

Sic tua perpetuo tamarix cum vimine vernet  
Hænare, belligera gloria magna Dea.  
Sic tua carminibus celebrentur flumina semper,  
Vatibus & vireas ripa iocunda tuis  
Ceruleis postquam te iam commiseris undis  
Auriferi, & toto nobilis orbe Tagi,  
Mœnia cum rapidus Toleti adueneris urbis,  
Sistere paulisper sit tibi cura precor.  
Hic habitant multi, quorum presentia chara  
Est mihi, cunctorum via meminisse potes.  
Par saluere iube solum, non iste grauiabit  
Te labor, amborum signa sequenda dabo.  
Alter gymnasi moderamina docta gubernat,  
Qui fecit musis otia grata meis.  
Vergara est alter, cuius tu nomina nosti  
Pastoris templo mysta, nitensque decus.

De vino.

Martica vina foro venduntur, magne patrone,  
Dixisti seruo, pocula digna Ioue.  
Hinc domino mercare tuo, nam nostra taberna  
Deficit, & fundo turbidior fluit.  
Quid mihi cum nummis, quid cum mercante crumena?  
Que patet, & semper pondera nulla gerit.  
Cur inopem rides? sortem miserere tuorum

E S



*Tu potius, cui nunc sydera blanda fauent.  
Qua vili emuntur Nambrosia vina Poëtae  
Sufficiant, diues Martica vina bibas.*

*De Venatione, & lingua ex  
Dama missa.*

*Bernardine decus nostrum, quem longa senectus  
Ut maneat, supplex numina cuncta precor,  
Dic quibus in syluis venit hac in retia praeda?  
Quo capta est laqueo, qua ingulata manu?  
An ne Alarconis, Petreij an forte sagitta,  
An ne tui Soti, Cardonicæ ve magis?  
Cuiusuis fuerit, pulcherrima munera laudo,  
Doctrinam miror, iudiciūque tuum.  
Victima si quando caderet percussa securi,  
Cætera Diuorum, lingua canentis erat.*

*De eadem re.*

*Cuias lingua foret Dama, patrone rogasti,  
Respondi, nouit Græca, Latina loqui:  
Hac satur est Græcus, satur est conuiuia Latinus,  
Sic linguam Damae fecit uterque suam.*

*De Conuiuij excusatione.*

*Nectar & Ambrosiam diuorum sercula tolle,  
Prandere & nolo lautitias Siculas.  
Iac Veneris, cerebrūque Iouis conuiuia querat  
Qui volet, at mensis da fruuar ipse tuis.*

*Nam*



Nam si me excussem nocturna incommoda vitans,  
 Edes deueniunt, nec periere dapes.  
 Vire precor, nostráque iuua patrone camœnas,  
 Extende & fati tempora longa mei.

De Thoma Guzmano mythra donato.

Augurium primis tibi nunc ostenditur annis,  
 Grande puer, musas quo tue are tuas.  
 Dum te Cygneo flectentem verba palato,  
 Hesterno vidit Gymnasiarcha die,  
 Implentem dum te doctorum facta virorum,  
 Et prætergressum munera cana senum,  
 Sericea donat mythra, celebrémque coronam  
 Imponit capiti præmia digna tuo.  
 Ornari hac vellet potius Nysëia coniux,  
 Et Maia genitus condecorare caput.  
 Hanc Pallas galea præferret, Cypria sertis,  
 Coniugis & petaso Persephonea sui.  
 Munera parue puer cernis, quòd olympia vincunt,  
 Equales nunc sit vincere cura tibi.

D. Isabellæ Conceptionis Abbatissæ,  
 Bernardini sororis  
 tumulus.

Hic Isabella iacet, quondam pietatis imago,  
 Nunc cinis, ecquid Io sancta valet pietas?  
 Hic pudor, & probitas, conduntur marmore tristi,  
 Quid pudor ergo valet, quid valet & probitas?  
 Religio, est diuis semper deuota voluntas.

Clau



Clauditur hinc, cultus quid valet ergo Deum?  
 Impia verba procul, iam diua effecta Supernis  
 Nunc Isabella choris gaudet & astra tenet.  
 Suscipiunt animam venientem in limine cæli  
 Virgineæ turmæ, carmina læta canunt.  
 Huic regina poli dixit, præfecta puellis  
 Custos alma meis sydera ad alta veni.  
 Quàm timeo coluber, ne fors te absente vetustus,  
 Virginibus nostris tristia damna ferat.  
 Ne vereare, Dei ò genitrix, respondet, inertes  
 Adgreditur Serpens, hæ pietate valent.  
 Has ego præceptis formavi, viuuda virtus  
 Durat, & hostili non cadet icta manu.  
 Hac ego pro cura, subiecit maxima virgo,  
 Te excipiam gremio, regnaque nostra dabo.  
 Et Bernardino fratri lachrymantia tergam  
 Lumina, qui assiduis nunc iacet in lachrymis.

### Excusatorium rusticationis.

Et pudet, & vereor iuuenis si frigora vitem,  
 Cùm te grandæuum ledere nulla queant.  
 Parce tamen patrone precor, nam nostra iuuenta  
 Aetati cedit, quæ tibi cruda viret.  
 Cùm Zephiri tepidis spirant è collibus auras,  
 Tunc ager est gratus, tunc nemus omne placet.  
 Ascraei in mentem redeant nunc dicta coloni,  
 Lanus adest, grauis est, excoriâtque boues.

### Die funeris de sole obscurato.

Atra dies hæc est, ciues obducite vultus,

Pre



*Præsidium studiis mors inimica tulit.  
 Non potuit Phœbus tam dirū cernere funus,  
 Auertitque oculos hoc moriente suos.  
 Iure facis Titan, nullus tua sacra colebat  
 Purius, aut studiis anchora maior erat.*

*Die funeris.*

*Bernardinus amor Phœbi, doctæq; Minervæ  
 Insignis cultor, Gymnasiarcha grauis.  
 Quem viuum coluit Phœbus, coluere Poëta,  
 Quémque vrbs tota patrem prædicat esse suum  
 Infertur tumulo, precibus contendite cuncti,  
 Aduolet ut statim culmina clara poli.*

*F I N I S.*







Handwritten text at the top of the page, possibly a title or header, written in a cursive script.



dels.º Hieronymo de castro

*[Extensive cursive handwriting, including the name Hieronymo de castro and various flourishes]*

Aquas est Cayano

Honores

Aqui

Exmu de















TOLE

BIBLIOTECA

Dep. .... R

Núm. .... 1



ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA

COM

EDY

ALVA